


# EPISTULA LEONINA

## CCLXVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SEXTAM (266)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03</b>
<b>‘AEQUAM MEMENTO’ .....</b>	<b>04</b>
<b>NONNE HORATIUS LOQUITUR DE NAVICULA NOSTRA?.....</b>	<b>05</b>
<b>DE PUGNA RANULAE ET LUCII PISCIS RAPACIS (Camerarius) .....</b>	<b>06-09</b>
<b>DE DEO REBUSQUE ANTIQUIS ATQUE HODIERNIS (Kangiser).....</b>	<b>10-23</b>
<b>DE LATINITATE VIVA (LL).....</b>	<b>24-50</b>
<b>DE LINGVAE HEBRAICAE RESUSCITATIONE (Amotz Asa-El, LL) .....</b>	<b>51-57</b>
<b>BACCIBALLUM QUID SIT.....</b>	<b>58</b>
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>	<b>59-70</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>71-80</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>81-128</b>
<i>Paulus Kangiser (81-86) - Naevius Sartorius (86-99) – Ansgarius Osloensis (99-101) - Andreas Pizzotti (101-103) - Joannes Carolus Rossi (103-107) - Radulfus Lavallo (107sq.) Guglielmus Monetti (108-111) - Iohannes Petrus Knijff (111sq.) – Marcus Cristini (112-115) Victorius Ciarrocchi (115-118) – Urbanus Ferrarius (118-120) - Gaius Licoppe (121-127) - Iosephus Faber (127sq.)</i>	
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>129-132</b>



QUANDO FIET **PANDYSELECTRIA?**

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

MATTHAEUS 25. 13.

## PRAEFATIUNCULA


LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*cum Leo Latinus Oceano vocabulorum Orbis Picti sui immersus per duos ferè menses ab Epistulis scribendis abstinuerit, îdem nunc te invitât omni quâ par est observantiâ, ut fruaris autumnî fructibus, ut carpas diem, ut hellueris lectione Epistulae Leoninae! - Mente gratissimâ praebeo tibi chronogrammata piè atque artificiosè confecta necnon toto ex corde tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...Maximè tibi commendo *tractatum theologicum*, quam scripsit *Paulus Kangiser Latinophilus Chilianus Iacobopolitanus* summâ cum peritiâ rei tractandae summâque cum inflammatione animi. Sed si etiam ea laudaveris quae *de Latinitate vivâ deque Orbe meo Picto Hexaglotto* scripsi necnon ea, quae *de sermonis Hebraici resuscitatione* scripsit *Amotz Asa-El*, et quae Leo togâ ornavit - »*sublimi feriam sidera vertice*«. Pancraticè vale et perge mihi favere. Medullitus te salutât...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Martis**

**29. m.Nov. a.2022**



**AEQUAM MEMENTO  
REBUS IN ARDUIS  
SERVARE MENTEM!**

**(HORATIUS, Carmina 2,3)**



## NONNE HORATIUS LOQUITUR DE NAVICULA **NOSTRA**?



Ō nāvis ! referent in mare tē novī  
 Flūctūs? Ō ! quid agis ? Fortiter occupā  
 Portum. Nōnne vidēs, ut  
 Nūdum rēmigiō latus,  
 Et mālus celerī saucius Āfricō,  
 Antemnaeque gemant? Ac sine fūnibus  
 Vix dūrāre carīnae  
 Possint imperiōsius  
 Aequor? Nōn tibi sunt integra lintea,  
 Nōn dī, quōs iterum pressa vocēs malō.  
 Quamvīs Pontica pīnus,  
 Silvae filia nōbilis,  
 lactēs et genus et nōmen inūtile :  
 Nīl pictīs timidus nāvita puppibus  
 Fīdit. Tū, nisi ventīs  
 Dēbēs lūdibrium, cavē !  
 Nūper sollicitum quae mihi taedium,  
 Nunc dēsīderium cūraque nōn levis,  
 Interfūsa nitentēs  
 Vītēs aequora Cycladas.




**BABAE! MIRUM LECTU:  
 RANULAM FORTISSIME LUCTATAM ESSE  
 CUM LUCIO PISCE RAPACISSIMO !!!**

Hoc factum esse nobis facundê necnon delectabiliter narrat  
 CAMERARIUS humanista doctissimus<sup>1</sup>.



<sup>1</sup> Textum excerpti e libello mirabili, quem a.1825 Lipsiae edidit Dr. Ferdinandus Philippi: Die Latinität der Neuern von dem Wiederaufleben der Wissenschaften bis auf unsere Zeiten. Ein Hilfsbuch für den Unterricht im lateinischen Styl und für Bildung des Geschmacks zum Schul- und Selbst-Gebrauch herausgegeben von Dr. Ferd<inand> Philippi, Grossherz<öglicher> Sächs<ischer> Hofrath. Leipzig 1825, p.18sq.: „10. Zweikampf zwischen Hecht und Frosch. v. Camerarius.“ Nomen auctoris non accuratius indicatur. Num sit Ioachimus Camerarius Maior (1500-1574), haud scio.

*Delitescebat* in latebris ripae vivarii *Lucio* discors *Rana*, cum forte *Lucius* otioso similis, levi caudae motu, summas vivarii aquas ultro citroque sulcaret, quoad tandem ad locum, quem insidiis faciendis *Rana* cepit, propius appelleret; non omisit bene gerendae rei occupationes *Rana*, sed simul atque facultatem assiliendi hostis sibi oblatam vidit, ita ut erat sinibus buccarum inflatis oculisque prae ira flagrantibus, repente in caput illius insilit, lateque divaricatis pedibus, frontem circumplexa (vide solertiam animalculi!) in ipsos praecipue oculos *Lucii* invadit, mollissimasque et carissimas lancinat partes. At ille dolore exagitatus, modo citato per undas cursu ferri, fluctusque circum se concitare, modo vertigine rotari, fruticum et arundinum, quae in vivario subnatae emicabant attritum quaerere, si quo pacto male conciliatum, nullarumque prae se virium insessorem, fronte excuteret. Caeterum omnes eius conatus incassum cedebant, tam mordicus eandem frontem *Rana* obtinebat, tamque pertinaciter poenas ab avidissimo corporis sui vexatore exigebat, donec torpescentibus ex multa lucta viribus, *Lucius* ipse victus succubuit, seque *Ranamque* und in gurgitis ima demersit.



Nobis adhuc omnibus, qui aderamus eodem loci subsidentibus, luctatoresque qui iucundum nobis de se spectaculum exhibuerant, oculo requirentibus, ecce tibi Rana subito in altum exilit, ac more victorum ovans, coaxans vitulansque, rursus in sua se palatia recepit.




Imperat extemplo pontifex acciri piscatores, qui, lucio retibus invento inque lucem prolato, cognoscendi potestatem facerent, quidnam cum illo demerso actum esset; atqui miser ille utroque lumine orbus extrahitur, non sine omnium nostrum admiratione. -





**NARRATIUNCULAM**  
**RANAE CUM LUCIO LUCTANTIS**  
**A**  
**CAMERARIO**  
**FACETE ET DELECTABILITER**  
**SCRIPTAM**

**E COLLECTANEIS**  
**FERDINANDI PHILIPPI**  
**EXCERPSIT**



**LEO LATINUS**



# **DE DEO REBUSQUE ANTIQUIS ATQUE HODIERNIS**

Latinae exercitationes et meditationes  
a Paulo Kangiser propositae

## **I.- Deus est energia.**

1.- Energia, quam nos sive physicam vel materialem sive psychicam vel spiritalem perspicimus, in Deo est una sola; energia spiritalis, prout veniat a Deo, dicitur amor.

2.- Energiam physicam videmus in mundi creatione, quae ab una atomo incepit; quae atomus fuit radioactiva et in se continuit omnem materiam, quae per displosionem creanda erat; hoc enim solus Deus potest efficere; atomus radioactiva cum displosa esset magnam lucem fulgentem emisit.

3.- Ex ea primigena atomo totum universum materiale -vel stellae solesve et planetae cometaeque atque galaxiae necnon animalia terrestria marinaque, quorum corpora longo tempore evolvuntur et mutantur- factum est.

4.- Homo autem partim ex energia psychica partim ex physica creatus est; minimi momenti est utrum humanum corpus, sicut hodie cognovimus, post longam evolutionem evenerit annon; homo enim est et in orbe terrarum versatur ex voluntate Dei, qui creavit hominem liberum, quem Ipse possit amare et ab eo amari.

5.- Deus uno ictu creavit tempus et spatium; Ipse est aeternus nam extra tempus manet neque spatium physicum occupat; sed natura eius talis est ut omne universum omniaque creata in Eo contineantur.

6.- Scientistae, qui dant operam ut energiam intellegant et regant, sunt Deo propiores quam ipsi suspicantur.

## **II.- Deus est unus sed simul trinus.**

1.- In Deo cognoscendo primus gradus agitur per fidem, sed postea cetera ope rationis insequuntur.

2.- Quamvis non intellegamus divinam naturam, quae est una et simul trinitaria, tamen quae ex ea proveniunt ea possunt excogitari et ratione intellegi; natura enim divina non est intellecta sed intellegibilis.

3.- Divina Trinitas in se continet personas tres: unam, quae nostris verbis vocatur Pater, et alteram, quae nuncupatur Filius, et tertiam, quae Spiritus Sanctus dicitur. Hae tres personae sunt tamen una divinitas, quia unius naturae sunt participes; ex Patre enim provenit Filius, atque ex his duobus, quae una sunt, provenit Spiritus Sanctus; itaque hae tres sunt una et eadem divinitas, nam propter infinitam energiam psychicam, quae iisdem inest, tres personae fiunt una divinitas.

### **III.- Trinitatis imago in homine apparet.**

1.- Homo naturaliter constat ex viro et muliere et prole, quae ex his duobus oritur; itaque filius non gignitur solum a patre neque solum a matre, sed provenit ex ambobus, quia duo una caro in procreando fuerunt.

2.- Deus omnia cognoscit nec ratiocinio eget, sed per intuitionem percipit; intuitio est cognitio rerum, quae nobismet insunt; etenim sine ratiocinio cognovimus nostrum corpus vel eiusdem partem velut brachium, etiam ventris dolorem; igitur Deus omnia cognoscit quia omnia in eo insunt; creatio tota in eo est.

3.- Quamvis homo cognoscit rationaliter, tamen coniuges interdum sese invicem cognoscunt intuitionem, scilicet cum sexu utuntur, nam ob voluptatem ratio evanescit et coniuges sese cognoscunt velut si mulier esset pars viri et vir, pars mulieris.

4.- In sexu coniuges cognitionem intuitivam experiuntur unaque caro fiunt, quae in prolem se proicit, scilicet sese noscunt similiter ac Deus cognoscit; itaque homo quoque potest trinus videri: et vir et mulier et proles; dicendum autem est voluptem sexualem esse viam ad cognitionem intuitivam, nam ex ea ratiocinium haberi non potest; dolendum tamen est voluptatem iam antiquitus in theologia catholica contemptim aestimari; at non erat contemnenda voluptas in matrimonio habita.

5.- Instinctus feris bestiis et ceteris animalibus ad generationem sufficit; quoniam humano intellectu carent, non egent vehementi voluptate; eis satis est appetitus; mares feminas, quae in venerem perveniant, parumper sollicitant, postea cibum cottidianum quaerunt.

6.- Mares inter sese pugnant ut feminas quam plurimas fecundent; hoc est eorum naturae proprium, nam eo modo agitur selectio naturalis; interdum tamen inveniuntur viri, qui a feris atavis mores hereditate acceperunt; hi

sunt hybridae e fera et homine, qui nesciunt genus humanum non selectione naturali sed solidaritate et observantia progredi.

#### **IV.- Trinitatis imago frangitur.**

1.- Familia humana, quae constat ex viro et muliere et progenie est Dei imago; at genus humanum et tempore praeterito et praesertim nostris diebus hanc Dei imaginem variis modis delere intendit:

a) Adulterio aut viri aut mulieris, nam extraneus in familiam fraudulentè libidinis causa introducitur;

b) Coniugum divortio, quod non solum ipsis coniugibus sed et filiis nocet; imago reapse frangitur cum utercumque novo consorti se adiungerat;

c) Abortu, quem veteres nominarunt abactum; abortus sponte a natura factus dicebatur, abactus per vim in mulierem fetumque agebatur;

d) Ventris locatione, quae nostris diebus ob progressum technologicum fieri potest; ovulum in vitro fecundatum ex muliere in alterius ventrem inseritur; filius putatur ex ea quae ovulum praebuerit, quamvis altera in utero aluerit;

e) homosexualitate, nam vir, qui se inserit alteri viro, gignere nequit; item mulier quae physice alteram amat necnon vir qui via indebita utitur; hi omnes fecunditate carent; vera autem amicitia, quae energiam physicam excludit, Trinitatis imaginem non laedit; homosexuales saepe fiunt ob parentum incuriam, qui virilem aut femineam imaginem filio filiaeve praebere non valuerunt; quapropter homosexuales - cum a parentibus parum sedulis a recta via sunt aversi - absunt a culpa et dignitate gaudent, nisi cum altero viro coniungantur physice; omnimodis, turpe est ludibrium in eos habere;

f) Incestu, cum pater filium ex filia procreat vel frater e sorore; etiamsi non fit procreatio, tamen damnum mulieri est enorme; filia a patre stuprata, cum postea nupserit, amorem et odium erga consortem, patris imaginem, patietur; patrem ergo amabit sed stupratorem oderit;

g) Onanismo, qui est coitūs interruptio ne conceptus habeatur;

h) Scortatione sive prostitutione; ut Paulus apostolus monet: “An ignoratis eum, qui agglutinatur scorto, unum esse corpus cum scorto?”;

2.- Multa alia peccata plerumque committuntur sexualia, quae Dei imaginem fortase non omnino delent sed deformem efficiunt.



## **V.- Imago imperfecta.**

- 1.- Decet voluptatem esse utrique plenam, nam quo plenior sit orgasmus eo nitidior erit imago Dei; nulla enim rationali cognitione egemus cum intuitive cognoscere possumus.
- 2.- Coniuges orgasmo pleno non semper fruuntur, nam variis de causis interdum plenitudinem non adipiscuntur; cum ita sit coniugum est inter sese rem intime aperteque tractare medicumque peritum, si opus est, consulere.
- 3.- Mulier interdum filios concipere non potest vel, quod eo rarius est, vir idoneo spermate caret; quapropter remedium praesertim invenitur in orborum infantum adoptione.

## **VI.- Libertate fruimur.**

- 1.- Ex historia comperimus homines ab usum semper toleravisse praesertim in servos, qui vitam degebant ita ut, quia erant humiliores, dominus posset ad suam libidinem eos imperare et damnare; semperque fuerunt et adhuc sunt - ut recte dixit Phaedrus - homines improbi, qui fictis causis innocentes opprimunt.
- 2.- Antiquitus erant servi, qui abusus omnes patiebantur; servi autem abhinc saeculis fere duobus in nationibus civilizatis esse desierunt;
- 3.- Aliqui servi antiquitus, qui cuiusdam rei usum habebant vel grammatices vel litterarum vel medicinae, magno emebantur et miti consuetudine erga eos utebantur domini.
- 4.- Ad vitandos vero abusus facilius ibimus per doctrinam Christianam (veram dico doctrinam), quae docet personas neque propter potestates, quas exercent, neque opes, quas habeant, esse colendas; sed propter humanam dignitatem, quae in omnibus nobis quasi divinitus versatur; neque oportet postulare nos cunctos ex omni aspectu esse aequales, quia indolem propriam iure ac natura singuli habemus.
- 5.- Homo, intellegendi facultate praeditus, creatus est; ex qua facultate homo potest ea seligere, quae sibi suo iudicio magis proficiunt; intelligentia enim est facultas inassueta problemata solvendi; ergo quoniam quisque potest ab ipsius intelligentia problemata suo modo solvere, sive res quaslibet seligere, sequitur ut civitas singulis hominibus hanc libere agendi facultatem tribueret et agnosceret debeat, iure alieno servato.
- 6.- Quoniam homo liber creatus est, Deus hominum libertates veretur.

## VII.- Deus fit homo.

- 1.- Est autem mysterium quodammodo difficilius intellectu quam Trinitas et magis reconditum, scilicet: Deus homo factus est.
- 2.- Deus homo factus est per Incarnationem; Deus autem non apparuit in hominibus sicut alienigena, qui de nave siderali descendit, sed e virgine Judaea sumpsit carnem et sanguinem deque utero suo natus est; Trinitatis tertia persona, quae est Spiritus Sanctus, umbra sua virginem cooperuit ut Incarnatio fieret; Filius autem ex ea natus Jesus vocatur, quem secundam Trinitatis personam incarnatam putamus; Maria igitur, sic enim ea virgo vocatur, Dei Patris est filia (omnes Dei filii sumus), et Spiritūs Sancti ea est consors, et mater quoque Dei; ex Mariae ergo tribus cum Deo vinculis, tres personas distinctas in Trinitate perspicere possumus, ea est enim apud Deum et Patris filia et Spiritūs consors et Jesu mater.
- 3.- Credimus partum Virgineum fuisse indolorium, quia de corpore suo potestatem habebat plenam, et angor qui parturientes solet afficere ei in partu minime nocuit.

## VIII.- Redemptio sive recuperatio.

- 1.- Hominis corpus animaque per multos annos evolutionem unā egerunt; attamen cum Deus iudicavisset hominem iam esse completum, ei communicavit quodammodo naturam suam divinam quasi amicitiam, quae Gratia supernaturalis a theologis nuncupatur; praeterea homini dedit Bona praeternaturalia ut feliciter viveret: a) impassibilitatem, ex qua nullus dolor eum afficeret; b) integritatem, quae est sui corporis dominium ne corpore male uteretur; c) scientiam infusam, ex qua sciret omnia, quae ad victum essent necessaria; d) immortalitatem ut post probationem aeternae beataeque viveret.
- 2.- Cur autem Deus homini probationem imposuit? Quia Deus est iustus et vitae aeternae praemium homo suo merito debet adipisci.
- 3.- Attamen homo probationem non superavit et in peccatum cecidit, quapropter Deus et Gratiam et Bona praeternaturalia homini abstulit.
- 4.- Itaque in principio homo - et vir et uxor - in loco paradisiaco vitam degebat, usque ad primum peccatum, quod fuit superbia ne Deo obtemperarent; diabolus sub serpentis forma eos in peccatum induxit; tunc Deus eos e paradiso expulit sed redemptorem protinus promisit, qui ea, quae peccando perierunt, recuperaret; haec promissio metaphorice facta

est, cum nuntiatum est mulierem serpenti caput olim contrituram esse; haec mulier est virgo Maria.

5.- Redemptor tandem in terram venit et condidit societatem, quae est Ecclesia, cui est finis ac propositum recuperare ea, quae per protoparentum peccatum deperdita erant: Gratiam sanctificantem et Dona praeternaturalia; primo autem Gratiam crucis sacrificio Christus totam ac perfectam recuperavit, quam per septem sacramenta - de quibus infra - nobis praebuit; at Bona praeternaturalia nondum recuperata sunt, sed possumus dare operam ut paulatim ea recuperemus; nobis non est scientia infusa sed possumus studio multa noscere; dolorem multis modis vitare possumus vel per anaesthesiam cum sectionem chirurgicam patimur; corporis integritatem exercitio adipiscemur et immortalitatem paulatim recuperabimus; interim vitam medicinā longiorem habebimus; genus igitur humanum et labore ac technologia et ope divina se potest redimere.

6.- Technologia potest esse aut bona aut mala, ex animo eius qui ea utitur; energia atomica - exempli gratia - potest esse utilis pro medicina, pro agricultura, pro electricitate gignenda; sed etiam ut pyrobolo atomico urbes multaeque vitae uno ictu deleantur; at technologia nequit sese ipsa aestimare bonam aut malam; hominum ergo est ope ethicae atque scientiae christianae decernere finem ad quem ea destinatur.

7.- Christianus est ille, qui Dei Gratiam quaerit et Redemptionem fovet, quae paulatim progreditur usque donec fieret plena; redemptio igitur est generis humani iter ad Deum; hoc iter Ecclesia Catholica praecedere debet; quamvis hoc munus nonnumquam Ecclesia dubito iudicio effecerit; neque immerito dicitur Ecclesiae homines imperfectos et peccatores inesse, praeter quidem eos, qui sancti habentur.

8.- Justitia divina si examussim exerceretur nemo salvus esset; exinde nos peccatores speramus per paenitentiam nos posse mereri misericordiam divinam.

## **IX.- Cultus civilis sive cultura.**

1.- Ecclesia Catholica sibi postulat culturas christianizare, indole vernacula servata; quod propositum non facile adimpletur, nam in christianizandis populis pervulgantur opiniones, interdum atavicae, quae doctrinae catholicae adversantur; tunc prudentia opus est, ne simultates orientur; in doctrina autem catholica exponenda progredi oportet paulatim et nativum cultum civilem servare, quoad sit consentanea cum christianismo, qui

numquam potest imponi per vim, sed populus imbuatur doctrinā essentialiter atque enucleatē expositā.

2.- Christianismus natus est e lingua Aramaica, qua Jesus praedicavit; antiquitus pervulgatur lingua Graeca, aetate Caesarum et medio aevo Latinitate Ecclesia usa est, neque potest huius linguae nunc oblivisci nisi partim historiae oblivisci cupiat; quoniam vero Jesus erat Judaeus lingua Hebraea oportet considerari, nam a Judaeis quodammodo Cristianismus oritur, praesertim a Veteris Testamenti prophetis.

3.- In erudiendis pueris non solum doctrina catholica, sed etiam tradenda est historia et omnium rerum humanarum disciplina, quae in vetus illud praeceptum inducat: “nosce te ipsum”, quod apud veteres sapientes magnopere valuit, nam nisi nos ipsi noverimus, nostrum locum in humana societate invenire non poterimus.

4.- Utinam quisque homo possit laborare in ea re, quam maxime sibi placeat et idcirco pro ea habeat mentem et manus promptissimas; exinde erit efficientissimus.

5.- Nostra maxime interest quam plurimos fieri pecuniosos; quo plures enim pecuniosi in civitate erunt, eo pauciores erunt pauperes.

## **X.- De Creatione.**

1.- Deus creationem in hominum manibus posuit ut ea uteremur eamque tamen servaremus.

2.- Itaque haec duo proposita videntur inter sese adversari: et proventum a circumiectis adipisci et simul circumiecta pro futura progenie servare; haec duo non possunt una perfici nisi scientistae nos doceant iustum aequilibrium et utendi et servandi.

3.- Errant qui volunt circumiecta omnino intacta servari, nam id afferet omnibus cito paupertatem.

## **XI.- Pauca de sacramentis.**

1.- Verbum sacramenti antiquitus variis sensibus usurpabatur, vel in iudiciis et foro, vel in militia vel ut iuramentum vel etiam mysterium sive secretum; at in Ecclesia sacramentum est via spiritalis, qua Gratia divina in homines potest pervenire:

a) Jesus Christus sacramenta instituit nobisque reliquit septem, quorum praestantissima est eucharistia; est enim eucharistia verum Christi corpus et sanguis, quem sacerdos, Christi personam assumens, efficit, cum verba



ab Eo instituta rite et animo efficienti pronuntiat: “hoc est enim corpus meum” scilicet panis, atque “hic est enim calix sanguinis mei, novi testamenti, qui pro vobis et multis effundetur”; sub specie vini ex uva sanguis verus fit; eucharistia nos proximos promovet Deo, qui in nobis ad tempus etiam physice habitat, Gratiamque nobis incrementat, nosque communionem cum reliqua Ecclesia viventi participat;

b) Nascimur maculati ob protoparentum lapsum; oportet ab ea mala hereditate liberari; ad hoc baptismus institutus est velut aditus ad sacramenta et profecto ad eucharistiam; baptismus autem fit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum aqua in baptizando effusa, quae est huius liberationis signum atque effectus;

c) Quamquam propter baptismum purgati sumus tamen postea possumus in peccatum cadere; oportet nos a culpa liberari et ad hoc poenitentiae sacramentum institutum est; unice sacerdotes hoc possunt ministrare cum christifidelem suorum peccatorum poeniteat;

d) Confirmatione christifideles roborantur in fide et in omnibus rebus, quae ad vitam christianam pertinent, etiam in martyrium, cum casus fit; dicitur confirmatio esse Actionis Catholicae sacramentum;

e) Sacerdotes creantur vel presbyteri vel episcopi ut omnia sacramenta administrent; attamen quisque christianus potest in extremis baptismum morituro ministrare, quod munus regulariter diaconi et parochi exercent; presbyteri praesertim eucharistiam et poenitentiam, episcopi cuncta sacra agunt;

f) Matrimonio viri et uxoris unio sanctificatur ut plena imago sit Trinitatis, ut iam dictum est;

g) Unctio aegrorum fit ut valetudo recuperetur aut, si minus, in pace moriantur;

2.- Jesus sacramenta aliqua certis verbis instituit vel eucharistiam, aliqua adumbratim reliquit, vel matrimonium; tamen omnia ab Ecclesia aequae coluntur;

3.- Diaconi antiquitus creabantur et adhuc creantur ut parochos adiuvent, praesertim in baptizandis pueris et matrimoniis celebrandis;

4.- Omnes sacerdotes sunt caelibes, quia Ecclesia occidentalis decrevit in hac re - ut mihi videtur - Christum imitari, qui uxorem ducere noluit et quodammodo nequivit; cur ita? Quia Christus est secunda persona Trinitatis atque experitur infinitam energiam psychicam una cum reliquis duobus personis; matrimonium vero est imago Trinitatis et Trinitas est

huius imaginis obiectum; atqui imago non potest obiecto suo esse melior aut potior; cur autem Jesus voluisset experiri energiae imaginem cum ipse infinita et vera energia in ipsa aeterna Trinitate gaudet?

5.- Diaconi autem possunt uxores ducere; utinam saepe diaconis, qui diuturnum matrimonium habuerint optimum, licentia detur ut eucharistiam celebrent et fideles paenitentes audiant; ii autem qui parochias, episcopatum, sedemque petrinam petant, caelibes permaneant.

6.- Parochus, qui media nocte sit arcessitus ut gravissimo aegro sacramenta ministret, veniam ab uxore petere deberet?

7.- Christus quamquam discipulas doctrinam docuit nunquam eas in sacerdotium vocavit, sed tantum viros. Cur feminas exclusit? Nescimus; sed Ecclesia debet obtemperare Conditoris voluntati, quae ex Evangeliiis colligitur.

## **XII.- Incrementum oeconomicum.**

1.- Status modernus, qui apud Romanos dicebatur respublica, est civium organizatio, quae constat e diversis muneribus pro diversis magistratibus, qui sunt suffragio eligendi; status conditus est eo consilio ut cives libertate et iure et facultatibus tuto gaudeant.

2.- Duo praecipua munera status assumere debet: et pacem socialem et incrementum oeconomicum, e quibus beneficia bonaque multis incolis sponte eveniunt; attamen interdum incrementum oeconomicum non omnibus prodest; pauperes enim ii praesertim, qui educatione careant, ab statu sunt adiuvandi, eo modo ut unice egenissimis detur auxilium, ac nullo pacto iis, qui suis opibus gaudeant aut mercedem ex labore satis accipiant; denique omnibus detur educandi facultas.

3.- Incrementum oeconomicum a privatis praesertim gignitur; incepta statalia saepe proventum non satis gignunt, quia non oeconomice sed politice reguntur; praeterea sodales e factione gubernante in iis plus aequo accipiuntur.

## **XIII.- Plerique status hodie democratice gubernantur.**

1.- In nationibus democraticis gubernatores suas potestates ad tempus exercent; dein alius gubernator, actis comitiis, potest sedem praesidentialem sive gubernativam adipisci, dum comitia sint legalia, translucida, incorrupta.

2.- Nationibus maxime prodest progressus oeconomicus et stabilitas politica; attamen nationes democraticae - quoniam certis temporibus cives ad comitia vocantur et novus gubernator sive praeses eligitur - hoc obstaculo impediuntur: quod gubernatores, qui posteriores eliguntur, programmata gubernamentalia praevia interdum nec servant nec colunt, sed contra, ea saepe vel mutant vel abrogant; exinde progressus retardatur debilitaturque stabilitas democratica.

3.- Sinenses communistae, qui democratiam non colunt, unum gubernatorem habent paene perennem, qui proposita ac programmata sequentibus annis sine controversia perficit; hoc eis quidem prodest; at huius beneficii pretium est politica libertas, qua incolae - cur enim dicam cives? - gaudere non possunt; incolae autem, quibus est oeconomica libertas, commercium et intra et extra Sinas agunt, dum a rebus politicis se absterneant.

#### **XIV.- Ludibrium scholare.**

1.- Ludibrium scholare verbo Anglico dicitur *bullying* sive obsidio physica aut psychologica, qua pueri scholares quemdam condiscipulum continuo afficiunt.

2.- Ludibrium est peccatum grave adversus charitatem, quae fere nusquam ne in scholiis quidem hodie colitur; scimus autem statales moderatores de re disceptare et aliquas normas adversus obsidionem confecisse; sed etiam scimus ex his normis nullum vel parum proventū pro obsessis evenisse, nam obsessores a condiscipulis saepe habentur optime; discipuli vero christianam charitatem sunt docendi; omnes autem homines sunt colendi ob dignitatem, quae in humana natura impressa est.

3.- Neque verba obscena dices, nam ex abundantia cordis ōs loquitur.

#### **XV.- Angelorum rebellio.**

1.- Ex fide affirmamus angelos fuisse a Deo creatos ut entia spiritalia; aliqui autem ex iis contra Creatorem rebellarunt et cupiunt homines etiam idem agere; primus rebellator fuit Lucifer, quem multi diaboli secuti sunt; "diabolus" significat eum, qui dividit scilicet fideles ab Ecclesia, filios a parentibus, vicinos a vicinis, nationes a nationibus, uxores a viris virosque ab uxoribus, et ita porro.

2.- Diabolus inordinatum amat et dat operam ne ordine gaudeamus, nam pax est ordinis stabilitas et profecto pax nullum gaudium ei affert, immo pacem summis viribus odit.

3.- Interdum homines causam bellandi quaerere, innocentes opprimere, ordinem turbare, illicita plaudere; horum fortasse animos diabolus movet.

4.- At revera exstat diabolus? Inter tot angelos qui contra Deum rebellarunt unus est longe desperatissimus et omnium frustratissimus: is est diabolus; quid vero agit diabolus? Is in mundo versatur, eo consilio ut prava proposita quoad possit hominibus suggerat, quos in frustrationem proiciat; diabolus est mendacii pater.

## **XVI.- Praedones aliique similes.**

1.- Auctoritatum statalium est tueri cives a praedonibus et delinquentibus, qui sunt omnino reprimendi; tamen cavendum est ne repressores sese gerant saeve, quia etiam eorum, qui delinquent, dignitas servanda est, poena tamen ex lege persoluta.

2.- Legum effractores saepe ex delicto opes non parvas cumulant ita ut praedam modum vivendi faciant; exinde mulierem et filios a praedis opibusque, quas vita delictualis affert, facile et satis alunt.

3.- Praedones sive legum effractores damna incolis inferunt saepe magis quam ipsis proventum, nam delinquentes civibus et omni hominum societati penuria afficiunt. Legum enim effractionibus mercatores atque inceptores a negotiis et ab actuositate oeconomica sese abstinere, necnon e natione emigrant.

4.- Sinarum gubernium manu militari ac ferrea praedones persequitur ac punit; in nationibus vero democraticis interdum gubernium persequitur quidem praedones, sed manu blandula et paene feminea; custodes enim publici, si a praedonibus superati erunt, nulla pax socialis haberi possit; quapropter custodes armis uti debent potentioribus quam illa praedonum.

5.- Homines colendi sunt propter dignitatem humanam, at sunt qui unice colant eum, a quo sciant graviora damna sive ultionem evenire posse; itaque - ut exemplum proponam - Numerius unum bracchium Titio non franget, quia Titius postea Numerio bracchia duo frangere possit; ni possit, tunc bracchium Titio Numerius franget; sunt igitur qui eum unice verentur, qui vicissim damna reddere potest graviora; nostra maxime interest puerorum institutionem talem esse qualis pacificae societati conveniat.



6- Praedones et facinerosos, qui nunquam alterum veriti sunt, oportet carceris - iusta causa - damnari, necnon illos, qui, quoniam ditissimi facti sunt, putant potestates abusivas in humiliores exercere se posse impune.

### **XVII.- Quo tempore mundus universus finem habebit?**

1.- Terram scientistae affirmant non amplius quam 5000 milionum annorum victuram esse, cum sol, qui est una stellarum, fiat gigantissa rubra; dein tempus veniet quo nec sol nec luna nec terra in nostra galaxia erunt; quid tunc nobis? quid de vita aeterna, quam exspectamus Christiani?

2.- Suntne alienigenae extraterrestres, qui navibus spatialibus nostrum planetam visitant deque alto despiciunt? Hoc difficile est creditu, nam illa stella, quae nostrae terrae proxima est, ducentis annis luminis distat, et nemo credere possit eos et venire et videre et ad suam stellam reverti, nisi eorum vitae sint paene aeternae.

3.- Secundum scientistas spatium siderale potest flecti, ita ut duo puncta sideralia, quae sunt valde seposita, fiant proxima ob flexionem, velut si manum, palma prona, habeamus apertam et postea pollicem infra ponamus et supra quattuor digitos ad pollicem parallelos, manu ergo curvata; exinde duo puncta, quae erant longe in spatio distantes, nunc ob curvaturam proxima fiunt, adeo ut per foramen spatiale - quod etiam vermiculatum sive vermiforme vocatur - facile et cito inter duo illa puncta liceat transire; si haec foramina vere existunt, quod nondum demonstratum est, tunc esset possibile inter stellas atque etiam inter galaxias itinera per ea brevi tempore facere.

4.- Alienigenae, si qui sint, unde veniunt? Idem nescio an veniant e perfectissima supracivilizatione, quae vel in nostra vel in aliqua longinqua galaxia inter corpora caelestia versatur; agitur de Hierosolyma caelesti, quam Paulus apostolus Hebraeis nuntiavit; ibique nunc est Jesus (necnon in Eucharistia); exinde novissimis temporibus in terram iudicatum veniet, totamque veritatem aperiet; qui male fecerit, celari non poterit.

### **XVIII.- Resurrectio sive resuscitatio.**

1.- Olim erit tempus ubi omnia in pace florescant posteaquam iudicium universale actum sit; ii homines, qui tunc in terra versentur et in die iudicii liberati sint, vitam degent gloriosam in aeternum; at ceteri, qui antequam iudicium universale actum sit, iam mortui erint, quam vitam degent? Num a pace exclusi erunt?

2.- Ex fide catholica omnes iusti, qui iam vixerunt, in vitam denuo vocabuntur, eo consilio ut pace et beatitudine in aeternum fruantur. Minimi momenti est utrum eorum corpora cineres factae sint annon, nam Deus, quia est potentissimus, potest revivificare etiam eos, quorum cadavera nusquam reperiuntur aut omnino evanuerunt.

### **XIX.- Crisis in Ecclesia?**

1.- Nostris temporibus accusationes de paedophilia paene ubique audiuntur et apud iudices et aliqui sacerdotes in ius vocantur.

2.- Ecclesiae historia est summorum discriminum plena, inde ab ea prima crisi, cum Petrus, primus papa, negavit se noscere Christum; dubito an aliud gravius peccatum posse a papa committi; eo die Jesus in carcere erat coniectus; nullus igitur papa potuit eo gravius peccare in Deum, etsi id peccatum a Christo praevisum erat; Christifideles oportet pro sacerdotibus precari.

3.- Petrus postquam negaverit Jesum, vitam postea in testimonio apud Romanos dedit; at aliae crises in Ecclesia progrediente tempore factae sunt: Arriani et Manicei et Antifrasistae, et multo post Lutherani et Calvinistae et alii quoque; tamen ex omni calamitate Ecclesia evenit superstes; non enim est una et eadem continua calamitas a primo papa, sed variae calamitates per temporis intervallum factae sunt usque ad hunc diem.

### **XX.- De foco et domo.**

1.- Domus plerumque conficitur a parentibus et filiis et interdum ab atavis; domus etiam potest haberi a monachis sive viris sive mulieribus, in suis quorumque monasteriis.

2.- Focus est locus ubi nemo tibi est infestus vel te ficta causa obiurgat; non omnes domūs vere sunt foci.

3.- Utinam orbis terrarum nobis olim sit focus sine bellis et oppugnationibus, ad verae familiae modum.

### **XXI.- Epilogus: Intendi provocare catholicos.**

1.- Haec scripta sunt sermone Latino castigatissimo<sup>2</sup>, eo consilio ut magistri discipulis, altiore gradu, possent exercitandi meditandique causa proponere; utinam Ecclesia ne aliter censeat.

---

<sup>2</sup>Auctor gratias agit Doctori Nicolao Gross, qui textum variis locis correxit.

2.- Haec exercitia nemo vernacule vertat eo ut discipuli Latine se exercere valeant.

3.- Historia nobis omnibus est colenda et meditanda, praesertim discipulis; historia enim multa nos docet.

4.- Ope Latinitatis legimus ea, quae saeculo V a.Ch.n. scripta sunt vel Legem Duodecim Tabularum et deinde Plautum et Terentium et Ciceronem et Caesarem et Nepotem et Sallustium et postclassicos vel Tacitum et Suetonium et Augustinum et Hieronymi Versionem Librorum Sacrorum - sive Bibliam - Vulgatam et mediaevales vel Magnam Chartam vel Aquinatensem et Litterarum Renatarum primores vel Dantem Alagherium et scientistas investigatores vel Newtonum et reliquos usque ad nostrum tempus.

**HANC SYMBOLAM  
THEOLOGICAM ATQUE MORALEM**

**MAGNA CUM FIDELITATE ATQUE SUBTILITATE**

**CONSCRIPSIT**

**PAULUS KANGISER  
CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**



Acroasis coram Leonibus („Lions“) Neo-Ulmensibus d.21.09.2020 facta

# LATINITAS VIVA

## Num lingua Latina denuo fieri potest Europae lingua franca?

*Symbola quae sequitur est versio Latina acroaseos theodiscae quam Leo Latinus s.21.m.Sep. a.2020 fecit coram Leonibus („Lions“) Neo-Ulmensibus. Leo Latinus gratias agit plurimas Professori Dr.Dr.med. Ralf-Uwe PETER, a quo invitatus erat, ut hanc acroasin faceret.*

*Dominae Dominique maxime honorabiles,*

quod quidam homines nostrae aetatis consilium ceperunt, ut linguam Latinam antiquam denuo adhiberent loquentes atque scribentes, immo ut commendent usum eiusdem linguae antiquae modernum et publicum et officialem talem, qualis factus est in Imperio Romano medioque aevo novâque aetate ineunte, hoc plerisque vestrum nescio an videatur mirum aut alienum aut absurdum aut ridiculum.

Plerique enim coaequales nostri linguam Latinam solent dicere obsoletam et emortuam nulloque modo ad usum practicum aptam atque utilem. Quidnam de istâ linguâ antiquâ aliquis scit nisi eandem in scholâ aut universitate discit aut docet? Verba q.s. „Dominus vobiscum“ fortasse nonnulli homines noverunt aetate proveci olim ecclesiae frequentatores, „Delirant isti Romani“ nonnulli iuniores libellorum Asterigis periti nubeculatorum. Fortasse etiam sunt qui noverint talia proverbia qualia sunt „Errare humanum est“ necnon quaedam praecepta iuridica qualia sunt „In dubio pro reo“ et „Audiatur et altera pars!“ - At talibus sententiolis adhibitis quonam modo fieri possunt colloquia moderna de *computatro* et *sophophono*, de *interreti*, *tutelâ climatis* necnon *pandemiâ coronariâ* habendâ? Denique id quod est praecipuum: Iam pridem nos habere linguam francam: *Anglicam* enim ubique terrarum frequentissimam! At quonam modo notiones saeculi vicesimi primi, i.e. notiones ferê innumeras cultûs civilis moderni et scientiarum naturalium rerumque technicarum sat aptê satque accuratê denominari possunt linguâ Caesaris Ciceronisque

adhibendâ, quae exorta est ante duo milia quingenta ferê annorum? Talis usus linguae antiquae potestne fieri?

Potestne fieri ut lingua emortua ita resuscitetur, ut apta fiat ad usum modernum? Profecto talis resuscitationis exstat exemplum illustrissimum: Sermo enim Veteris Testamenti Hebraicus inde ex anno ducentesimo p.Chr.n. non iam adhibitus est in vitâ cottidianâ, sed tantummodo adhibebatur ad usum sacerdotum. Iam aetate Iesu sermo cottidianus non iam erat Hebraicus, sed *Aramaicus*.



**ELIEZER BEN JEHUDA**

(1858-1922)

Saeculo autem vicesimo – praecipuê ab **Eliezer Ben Jehuda (1858-1922)**, auctore primi Hebraici lexicæ modernæ – lingua Hebraica resuscitata est multisque milibus verborum novatorum tantopere ditificata, ut hodie ab Israelianis in omnibus vitae scientiarumque provinciis et regionibus tam bene adhiberi possit quam omnis lingua moderna.



**CAELESTIS EICHENSEER**

(1924-2008)

Latinitatem autem adhiberi posse ita ut linguam modernam neque prorsus deesse homines, qui hoc iam faciant, hoc verbis sequentibus vobis expositurus sum. Equidem ipse linguâ Latinâ utor ratione activâ ex

quadraginta ferê annis, i.e. non solum lego et interpretor textus Latinos traditos, sed etiam Latinê colloquor cum aliis Latinitatis vivae propugnatoribus, ipse scribo Latinê necnon textus modernos in Latinum sermonem converto. Grammaticam Latinam didici ex anno aetatis meae decimo; at usum Latinitatis activum demum didici nisi inter studia mea philologiae Latinae universitaria in cursibus Latinê loquendi seminariisque feriariis, quos instituit **Caelestis sive Iosephus Antonius Eichenseer (1924-2008)**. Sanê feliciter mihi accidit, ut eundem virum de Latinitate resuscitandâ optimê meritum in universitate Saravipontanâ cognoscerem: nam procul dubio Caelestis nobili sermoni senatorum Romanorum senescenti plus spiritus vitalis inhalavit quam ullus alius vir doctus saeculo vicesimo Latinitatem docens atque investigans.

Primo autem breviter tractabo Unionis Europaeae polyglottiam et explicabo, cur lingua franca neutralis omniumque communis, sermo communicationis officialis si adhiberetur, esset utilissimus maximêque cum finibus Unionis originalibus consentaneus; et quae causae sint, quibus sermoni Anglico adhibendo praestet in hac re sermo Latinus.

Hoc tempore in usu Unionis Europaeae sunt linguae viginti quinque. Tantâ linguarum multitudine efficiuntur sumptus ingentes interpretandi et transferendi, qui in anno sunt 1,1 (*una – virgula una*) miliarda euronum.

Primae linguae Unionis Europaeae officiales fuerunt quattuor linguae earum nationes, quae Unionem condiderunt: Theodisca, Francogallica, Batavica, Italica. At Unione augendâ aliae linguae sunt additae:

A.1973: linguae Anglica, Danica, Hibernica sive Hibernico-Gaelica (postrema primo non adhibita est nisi ad documenta Hiberniae cooptandae textusque fundamentales convertendos). Ita factum est, ut declararentur  $4+2 = 6$  linguae officiales et 30 combinationes linguarum possibiles.

A.1981 lingua neograeca accessit, ut nunc adhiberentur 7 linguae officiales et 42 linguarum combinationes.

A.1986 adiunctae sunt linguae Hispanica et Lusitanica, quo summa linguarum officialium fieret 9, combinationum 72.



A.1995 Finnia atque Suetia earumque linguis in Unionem receptis numerus linguarum officialis exauctus est ad 11, combinationum ad 110.

A.2004: additae sunt linguae Aestonica, Hungarica, Lettonica, Lituana, Melitensis, Polonica, Bohemica (Tsceca), Slovaca, Slovena = 20 linguae officiales et 380 linguarum combinationes.

A.2007 accesserunt linguae Dacoromanica, Bulgarica, Hibernica (Hibernico-Gaelica) = 23 linguae officiales et 506 linguarum combinationes.

A.2013 recepta est novissima: Croatica lingua, ut in summa sint 24 linguae officiales et 552 linguarum combinationes.

Praeter linguas officiales saepe adhibentur linguae candidatorum cooptationis (e.e. Albanica) necnon Russica, Sinica, Arabica, Iaponica eqs.

Evidenter apparet non esse ineptum comparare Unionem Europaeam cum bibliae „Turri Babylonicâ“. Qualisnam ratio redditur sumptûs tam ingentis interpretum atque translatorum? Quonam modo fieri potest, ut civis tanti unioni civitatum confisus sentiat se esse participem omnibus ceteris participibus officio obligatum et responsabilem? Nonne tantâ abundantîâ translationum semper aliquid perditur argumenti et significationis? Nisi damna fiunt maiora, procul dubio in oratione, quae in alias linguas convertitur ratione synchronicâ, i.e. summâ cum temporis penuriâ, perduntur subtilitates rhetoricae et stilisticae, praesertim affectuum expressiones vehementer deminuuntur aut prorsus amittuntur.

Unio Europaea ipsa quam causam affert polyglottiae suae? Eadem Unio *memorando* ad linguarum pluralitatem spectante a.25. m.Sept. a.2012 publicato declarat:

*„Num Unio Europaea in animo habet numerum linguarum officialium officialem deminuere? Interdum postulatur, ut Unio Europaea consentiat unam tantum linguam esse sibi adhibendam. At hoc esset democratiae adversarium, quia eodem modo plerique homines in Unione Europeâ viventes non intellexerent ea quae suo nomine decernerentur, quo responsalitas deminueretur.“*

*Ingo Friedrichs* (\*1942, CSU, a.1999-2007 vice-praeses parlamenti Europaeae) rogatus, nonne decerni posset, ut sôla lingua Anglica introduceretur officialis, iudicavit scepticê:

*„Si sermoni Anglico etiam hoc incitamentum decreti officialis concederetur, nullum iam esset impedimentum, quo usus huius sermonis limitaretur; nam adversus omnem praesentiam aliarum linguarum necnon adversus theodiscae linguae facultates reliquas omnes adhibitas lingua Anglica iam pridem augetur vehementer. Hoc autem iter linguae Anglicae victoriosum si decretis officialibus acceleraremus, in fine omnes linguae ceterae omni auctoritate privarentur. Istud autem scilicet fieri nos nolumus, quamquam egemus efficientiâ atque parsimoniâ.“*

Praeterea ratione politicâ Unio non posset assequi hanc problematis solutionem – praesertim cum Britanni interim eidem valedixerint et nulli Unionis sodales nisi Hiberni haberi possunt pro locutoribus nativis; Hibernorum autem sermo patrius – saltim theoreticê – est Gaelicus, qui ab Unione fovetur sedulissimê (*Diarmuid Johnson*, \*1965).

Anglica si fieret Unionis Europaeae lingua franca, ratione Germaniae incommodum paterentur centum ferê miliones hominum, quibus sermo patrius est theodiscus. Gubernatio Francogalliae indignatur, quia effectum linguae Anglicae sua lingua iam depulsa est ad gradum ordinis secundum. Tales nationes quales sunt Hispania et Italia, hegemoniam anglophonicam recusant, quia eâdem Europae parti meridionali etiam magis praevaleret pars septentrionalis. Denique praevalentia unius tantum linguae displicet etiam nonnullis gregibus linguarum Europae minoribus, qui ipsâ in terrâ propriâ nullam habent vim officialem. E.g. *Catalani* postulant, ut sermo suus patrius fiat Unionis Europaeae officialis; nec impossibile est etiam *Vascones* et *Armorici* aliquando postulaturos esse, ut idioma suum avitum fieret officiale.

At nulla gens Unionis particeps parata est abstinere ab auctoritate sermonis sui proprii officiali – imprimis scilicet nationes maiores. Ni mirum – nam quis nescit, quantum valeat in negotiis internationalibus ius linguam propriam adhibendi? Is, cui licet disceptare sermone suo proprio, solet collocutorem suum linguâ sibi alienâ utentem superare eloquentiâ et

loquendi assiduitate. Accedit quod praevalet lingua, si habet auctoritatem officialem.

Anglica lingua si esset unica lingua in Unione Europaeâ valens, foveret quidem globalismum, sed deminueret civium Europae identitatem et sensum valoris proprii. Eadem lingua in orbe terrarum etiam etiamque maiorem vim acciperet. Iam nunc apparet textûs scientificos ferê semper non publicari nisi Anglicê. Hôc modo ceteri sermones et gentes, quae iisdem loquuntur patriis, paulatim et gradatim orbantur et auctoritate et patrimonio cultûs civilis humanique sui.

Linguae omnium facillimae intellectu et adhibitu procul dubio sunt tales ficticiae, qualis est lingua *Esperantica* a *Ludovico Zamenhof* inventa. Quae lingua ficticia 16 tantum habet normas grammaticas et thesaurum verborum, quae electa sunt ex variis linguis eo semper fine, ut in Esperanticam linguam introducerent vocabula variarum linguarum in orbe terrarum quam notissima et intellectu facillima. Itaque haec lingua a *Ludovico Lazaro Zamenhof (1859-1917)* conficta celerius discitur quam omnis lingua naturalis. Laudandum est Zamenhofii ingenium eiusque studium pacis et humanitatis fovendae. Tamen huic linguae ficticiae desunt expressiones commotionum animi sat subtiles atque multiplices, associationes cogitationum, notionum quaedam ambiguitas lusoria et metaphorae locutionesque proverbiales, quibus interdum sensus obscuratur, sed etiam efficiuntur gratiae et lepôres et facetiae dicendi necnon panduntur animarum excelsitates caelestes et voragines abyssales. Nec habet lingua Esperantica litteraturam, quae crevit per multa saecula, ne dicam per millennia a poetis ingeniosis artificiosê efformata.

At e contrario Latinitas talibus loquendi armis et decoramentis singulariter abundat. Necnon eadem si fieret Europae lingua franca, aliter ac in casu hegemoniae anglophonicae officialis nullo modo deminueretur singularum gentium cultûs civilis humanique indoles specialis et individualis. Nam omnis natio europaea ratione historicâ et culturali et linguisticâ cum Latinitate artissimê coniuncta est.



LEON DE WINTER (\*1954)

His rebus intellectis *Leon de Winter* (\*1954)<sup>3</sup> Batavus poeta illustris inductus est, ut commendaret linguam Latinam linguam constitutionis Unionis Europaeae faciendam.

„Equidem commendavi, ut lingua *L a t i n a* fieret lingua constitutionis Europaeae. Si hoc fieret, translationes reverâ essent translationes originalis textûs Latini. Absurdum mihi videtur medio huic corpori cultûs civilis inesse vastum hiatum. Date huic constitutioni cor, inquam, cor antiquum linguae cultûs civilis europaeae, ut habeamus aliquid, quo coniungamur, non seiungamur. Nam istud, quod cavendum praemonueram, fieri posse, ut unio evanesceret, quia nemo nisi Europae praepositi talem unionem optaret, quia Europa non esset notio culturalis, sed geographica, istud ipsissimum factum est.“ (*cfr EL 45*)

Si rem rectê perpenderit, contra opinionem communem cognoscemus Latinam linguam nequaquam esse emortuam. Nam Latinitas ex interitu Imperii Romani Occidentalis (a.476 p.Chr.n.) numquam mortua est – verisimile est inde ex illo tempore nullum diem fuisse, quin qui homo Latinê cogitaverit, scripserit, locutus sit.

In Imperio Romano et medio aevo et novâ aetate ineunte iam fuit lingua Latina Europae lingua franca. Medio et novo aevo ineunte Latinitas praecipuê adhibebatur in circulis ecclesiae et scientiarum et iurisprudentiae, e.g. ut sermo contractûs faciendi. Sed etiam postea numquam prorsus desitum est Latinê loqui et scribere.

---

<sup>3</sup> Fabulae romanae huius poetae notissimae sunt: „Zionoco“, „Supertex“, „Sokolows Universum“, „Ein gutes Herz“ (2013).

In Hungariâ atque Croatiâ usque ad annum 1848 lingua Latina fuit lingua parlamenti officialis.

In Germaniae universitatibus studiorum usque ad saeculum undevicesimum exiens dissertationes Latinê scriptae Latinê defendebantur. Notum est terminologiam scientiarum naturalium ex terminis technicis graeco-latinis compositam ubique terrarum adhiberi ad scientiam inter nationes facilius mutuo permutandam. Imprimis talis praestantia terminologiae internationalis valet in systematibus nominum anatomiae, botanicae, zoologiae, bacteriologiae, pathologiae, pharmacologiae. In taxonomiâ botanicâ nova species plantarum non valet nisi ritê describitur diagnosi latinâ.

Septimanâ proximâ praeterita in ephemeridibus nostrae regionis certiores facti sumus saeculo duodevicesimo linguam Latinam officialiter adhibitam esse („*Augsburger Allgemeine*“ et „*Südwestpresse*“). Ibidem relatum est *Hans-Walter Roth* (CDU) consiliarium Ulmensem in urbe Venetiarum in subhastatione documentum Latinum emisse a.1722 scriptum et archivo Ulmae urbano tradidisse. Agitur de permissione limitis transeundi officiali (a.1722), quâ acceptâ cuidam mercatori Ulmensi, cui nomen fuit ***Hans Matthäus Neubronner***, licuit fasces suos panni lintei per limites exportare. In ephemeridibus supra memoratis invenitur huius documenti Latini photographema. Eodem autem Urbs Ulmae affirmat *constitutionem aeris Ulmensis esse salutarem et innocentem et ab omni luis contagionisque pestiferae vitio vacuam et immunem*.


Hôc ex testimonio, quo a magistratu urbano affirmatur aërem urbis Ulmae esse innocentem, mirabiliter apparet, ineunte saeculo duodevicesimo qualis fuerit usus linguae Latinae officialis. Mercator autem curaverat fasces linteos tribus lagenis involutos per urbes *Camboduni* et *Bauzanae* usque ad urbem *Veronae* transportandos („*transmittere instituisset*“).

In ephemeride, c.t. „*Südwestpresse*“ (d.Iovis, 17. m.Sept. a.2020, p.17), hoc documentum explicatur esse testimonium valetudinis ad ipsum mercatorem spectans („*frei von jeglicher Erkrankung*“, „*Ein Attest bescheinigt dem Kaufmann, dass er gesund und reisefähig ist*“) et auctor idem scriptum comparat cum testimonio covidiano („*Passierscheine gab es schon lange vor Corona*“). *Iohannem Valtherum Roth* (CDU), qui

documentum Venetiis in subhastatione emptum archivo urbano tradiderit, non intellegere quomodo licuerit magistratui urbis offerre tales permissiones transeundi ipsis in temporibus pandemiae totâ in Europâ saevientis et quonam modo burgimagister superior et consilarii urbis cognoscere valuerint hunc civem neque in morbum pestilentiae neque luis incidisse.“ (*„unklar... wieso die Stadtverwaltung solche Passierscheine gerade in Zeiten einer europaweiten Pandemie ausstellen konnte und wie sich der Oberbürgermeister und der Rat der Stadt selbst davon überzeugen konnten, dass der Bürger weder an der Pestilenz noch an der Lues erkrankt war.“*)

At hac in re Dominus Roth (vel interpres, quem rogaverat ut sibi documentum explicaret) aliquatenus erravit. De testimonio enim valetudinis ad ipsum mercatorem spectante in documento nihil dicitur. Re verâ ibidem diligenter describitur, quomodo merx sit tractata et involuta et affirmatur aëris Ulmensis innocentia, qui vacuus sit ab omnibus germinibus contagiosis. Praeterea ex verbis quae sunt „*transmittere instituisset*“ licet concludere mercatorem non ipsum transportasse fascas linteas Veronam, sed curasse, ut transportarentur. Ergo patet magistratum tantummodo affirmasse nullam esse causam, quâ timendum esset, ne merx infecta sit germinibus nocivis. At quale indicium magistratus Ulmensis habuit, quo hoc confirmaret? Scilicet saeculo duodevicesimo nondum fieri potuisse analyses microbiologicas, quibus factis Ulmenses dicere scirent, utrum et aer et merx contagiosa essent necne. Scilicet illâ aetate nihil certê nôtum fuisse de morbis contagiosis deque bacteriis et vîris. Itaque magistratûs Ulmenses nullam habuerunt ansam innocentiam aëris probandi. Tamen iidem viri officiales modernae epidemiologiae harioli innocentiam aëris et mercis Ulmensis ex officio comprobata affirmaverunt eo fine, ut commodo mercatorio fruerentur ex auctoritate suâ publicâ. Certê speraverunt persuasum iri telonariis Cambodunensibus et Bauzanensibus et Veronensibus Latinitate Ulmensi officiali perlectâ.





**JEAN CAPELLE**  
(1909-1983)

### **De Latino sermone resuscitando**

Sed quid de Latino sermone vivo in colloquiis et commerciis epistularum adhibendo, qui aptus est ad res modernas tractandas? Licet iam diu transacta sint illa tempora, ubi facultas et peritia Latine loquendi et scribendi postulabatur in scholâ et universitate, sed usque nunc semper fuerunt coetûs et societates, quibus coleretur sermo Latinus vivus. Anno 1956 in primo Latinitatis Vivae Conventu Avennionensi Professor ***Iohannes (Jean) Capelle (1909-1983)*** commendavit, ut homines variarum nationum variorumque sermonum patriorum uterentur linguâ Latinâ resuscitatâ ad cogitata inter se permutanda et disputationes practicas habendas. Îdem professor iam illo tempore ideae paneuropaeae favens verbis extulit facilius fore sermonem Latinum neologismis necessariis instruere quam discere 12 linguas Europaeas. Quod argumentum interim etiam plus valet eo quod iam exstant 24 linguae Unionis Europaeae officiales.

Inde ex conventu Avennionensi numerum eorum qui defendunt et propagant „Latinitatem vivam“ numerosis investigationibus publicationibus conventibus acroasibus cursibusque institutoriis et intra et extra Europam exauctus est.


## **NONNULLI LATINITATIS RESUSCITATORES\***



**JOSÉ MARIA MIR**  
(1885-1971)



**ANTONIO BACCI**  
(1914-2003)



**CARLO EGGER**  
(1913-2000)



**REGINALD FOSTER**  
(1885-1971)



**CLETO PAVANETTO**  
(1931-2021)



**SUITBERT SIEDL**  
(1923-2006)



**ORAZIO ANTONIO  
BOLOGNA**  
(\*1945)

---

\* Scilicet hōc loco nonnulla tantum exempla afferri posse. Sunt etiam alii de Latinitate resuscitandā bene meriti.



**CAELESTIS EICHENSEER**  
(1924-2008)




**MAX MANGOLD**  
(1922-2015)



**CHRISTIAN HELFER**  
(1930-2008)




**SIGRID ALBERT**  
(\*1952)



**ANDREAS THIERFELDER**  
(1903-1986)



**MICHAEL VON ALBRECHT**  
(\*1933)



**WILFRIED STROH**  
(\*1939)




**LUIGI MIRAGLIA**  
(\*1965)






**GUY LICOPPE**  
(\*1931)



**ANDREAS FRITSCH**  
(\*1941)



**REIJO PITKÄRANTA TUOMO PEKKANEN**  
(\*1934)



**TERENCE TUNBERG**  
(\*1950)



**JOZEF IJSEWIJN**  
(1932 — 1998)



**DIRK SACRÉ** (*secundus a sinistris*) et **CHRISTIAN LAES** (*a dextris*)  
(\*1957) (\*1973)



Incitamenta Latinê loquendi et scribendi vehementia atque vivacissima effecta sunt a **Caeleste Eichenseer** Patre Benedictino, qui in Universitate studiorum Saraviensi recepit munus latinitatem vivam docendi et scribendi et investigandi necnon commentarios Vocis Latinae êdendi. Îdem monachus Benedictinus, qui praeditus erat ingenti industriâ admirabili, intimo ex animo deditus erat ideae Latinitatis resuscitandae missionariae.

Caelestis Eichenseer, cui a nonnullis attributa sunt nomina humanistica *Dryantis* aut *Querculacustris*, normas grammaticas Latinitatis aureae sequens thesaurum verborum Latinorum, quantum necesse erat ad res novas denominandas, magno numero neologismorum ditificavit, qualia numquam confinxit nisi cum respectu normas verba fingendi antiquas fidelissimo. Equidem ipse Dryante docente inter studia mea philologiae Latinae didici sermonem Latinum adhibere ratione activâ; talis autem usus Latinitatis illo tempore non docebatur neque hodie docetur in scholâ neque in universitate. Principia lexicographiae neolatinae, cui deditus sum *Orbem Pictum Latinum* componens, item grato animo accepi ab hîc magistro Latinitatis vivae excellentissimo.

Defensores Latinitatis Vivae intra et extra Europam multimodis agunt in foris interretialibus, scopocinematii *youtubianis*, emissionibus radiophonicis. Fiunt conventûs, in quibus participes ex variis terris oriundi nullâ linguâ loquantur nisi Latinâ, et commentarii internationales Latinê scripti, quales sunt „Vox Latina“ (Saraviponti) et „Melissa“ (Bruxellis) „Epistulae Leoninae“, quas ego ipse in situ „Ephemeridos“ êdo interretiales.

Quonam modo hodie fieri potest, ut loquamur Latinê? Num sunt exempla colloquiorum cottidianorum antiqua? Verum, talia sunt tradita colloquia etiam in litteris prorsae orationis Romanae classicis, quae non sunt ex periodis prolixis atque intricatis composita, sed simplicibus sententiolis, quae etiam tironibus faciles sunt intellectu. Sunt etiam aliquot centum epistulae, in quibus Romanorum oratorum omnium eloquentissimus sibi non temperat, quin utatur genere sermone humili. Praeterea etiam comoediae Plauti atque Terentii saepe continent sententiolas locutionesque sermonis cottidiani.

At si volumus Latinâ linguâ antiquâ hodie denuo loqui, aliâ difficultate vexamur: Primo omnium audientes aut Britannum Francogallum aut Hispanum aut alium hominem alius sermonis patrii Latinê loquentem, stupefacti sumus. Si audimus e.g. Britannum et Francogallum illustrem illam sententiam *Belli Gallici* Caesariani initialem eo more tralaticio recitantes, quo in scholâ patriae suae audiverunt magistrum suum recitantem, stupemus: Talem Caesarem non recordamur: Ex ore peregrino verba Romani illustrissimi omnino aliter resonant quam resonuerunt ex ore magistri nostri scholaris!

„Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, alteram Aquitani, tertiam, qui eorum ipsa lingua Celtae, nostra Gallia appellantur.“ (*Pronuntiavi primam sententiam Belli Gallici primo theodisco pronuntiatu scholari, deinde Britannicio et Francogallico more tralaticio*).

Animadvertistis discipulos Britannos et Francogallos in scholis suis discere alium modum Latina verba pronuntiandi quam nostros discipulos; scilicet etiam pronuntiatum sermonis Latini aliarum nationum non congruere cum theodisco pronuntiatu, sed plus minusve ab eodem differre, secundum sonos eius sermonis moderni, qui homini loquenti est patrius. Omnis enim lingua varia habet phonemata, et si quis alieno sermone loquens in sermone suo patrio non habet aliquem sonum linguae peregrinae, in locum huius soni peregrini supponit eum sonum propriae linguae, qui illis sono est quam simillimus. Quid nunc? Si omnis natio moderna habet suum Latina verba pronuntiandi modum proprium, nonne difficile est hominem alterius nationis intellegere etsi uterque homo colloquii particeps optimê scit linguam Latinam? Quisnam linguâ Latinâ scit rectê pronuntiare? Quenam lingua moderna sonos habet latinis illis antiquis maximê congruos? Quantum scimus, nullius linguae modernae soni congruunt omnes cum sonis linguae Latinae. Mirum est: quantum scimus pronuntiatum sermonis Latini antiquum restituere, scimus pronuntiatum linguae Latinae Finno- et Hungarorum tralaticium, si comparamus cum ceteris pronuntiatibus Latini sermonis modernis, optimê congruere cum pronuntiatu Latino restituto. Hoc eo mirum et, quod Finnia et Hungaria longê distant a locis, quibus lingua Latina est exorta.

Certê iam pridem clam quaeritis increduli, Dominae Dominique honorabiles, quonam modo fieri possit, ut philologi vel potius phonetici restituant pronuntiatum linguae antiquae originalem, quâ utebantur homines aetate Caesaris atque Ciceronis viventes? Scilicet nullus phoneticus pronuntiatum antiquum tam accuratê et subtiliter scit restituere quam sciret, si Romani nobis tradidissent receptiones magnetophonicas. At haud paucae peculiaritates phoneticae sermonis Latini classici a phoneticis possunt restitui magnâ cum certitudine. Qui partim indagari possunt indiciis ab antiquis grammaticis traditis, qui describunt, quâ ratione soni Latini instrumentis loquendi naturalibus ex ore editi sint; partim tradita sunt verba onomatopoeica, quibus Romani sonos imitati sint a bestiis editos aut alios sonos naturales. Etiam verba Latina litteris alienae linguae, velut Graecae, transcripta necnon modi pronuntiandi variarum linguarum Romanicarum, quae exortae sunt e sermone Latino antiquo, adhibentur ad pronuntiatum linguae Latinae antiquum aliquatenus, ut ita dicam ‚*approximativê*‘ restituendum. Scilicet oporteat cautê iudicare de talis restitutionis fidelitate: nondum invênimus phonodiscum taeniamve magnetophonicam quâ aut Caesar aut Cicero vocem suam recepisset. Licet quaedam proprietates antiqui pronuntiatûs Latini maneant semper incertae, tamen consentaneum est, ut in colloquiis Latinis hominum e variis terris oriundorum studeamus unam normam certam pronuntiandi quam fidelissimê servare, ne fiat conventus *Latinophilorum* internationalis turris Babylonica.

### **In vitâ cottidianâ quae formulae loquendi quadrant atque conveniunt?**

Pauca tantum exempla hîc sufficiant; qui plura audire vult, nomen suum det seminario aut cursui institutorio Latinê loquendi participando!

Homines Latinê loquentes inter se salutant verbis q.s. „Salve!“ (si unus salutatur) aut „Salvete!“ (si plures salutantur) – et ex altero quaerunt, quomodo valeat: „Quomodo te habes?“ sive brevius: „Ut vales?“ Tali quaestioni responderi potest verbis q.s. „Bene“ aut „male“ aut „aliquatenus mediocriter me habeo“. Licet etiam quaerere: „Unde venis?“ et „Quo is?“ aut „Quo vadis?“ - ut titulum afferam fabulae et cinematis illustrissimi – et e.g. respondere „Domo venio“ - et „Vado ad mercatum“ - Abiturus autem dicere solet aut „Vale!“ aut „Vale et bene ambula!“ et „Fac ut mox inter nos revideamus!“

Scilicet scripta etiam esse *phrasaria* Latina moderna et libros Latinê colloquendi didactica, in quibus tales locutiones inveniuntur, e.g. libellus *Capellani*, qui iam aliquatenus factus est classicus libellus Latinitatis vivae: „Loquerisne Latinê?“ - „*Sprechen Sie Lateinisch?*“

At quid de multis milibus notionum vitae cottidianae et technologiae et scientiarum, quae exstant saeculo vicesimo primo, sed non exstiterunt primo saeculo a.Chr.n.?

Ex quindecim ferê annis compono magnum *Orbem Pictum Latinum* glossis instructum, secundum exemplum illius ***Orbis Sensualium Picti*** ab ***Iohanne Amos Comenio (1592-1670)*** celeberrimo humanistâ Moraviano conscripti. Meum autem opus copiosum 40.000 notiones sênis linguis denominatas continens bene spero mox perfectum iri.

Lexicon quoddam pentaglottum et picturatum, quod inscribitur „*Visual Dictionary*“ (,Dictionarium visuale‘, ut ita dicamus), in Latinum converti et altero in tomo, c.t. GLOSSAE, verba Latina a me partim collecta partim conficta testimoniis et explicationibus etymologicis grammaticis semanticis adumbro. Dictionarium Visuale *Monte Regio* in urbe Canadensi editum complectitur 1071 paginas, quibus insunt picturas 40.000 rerum modernae vitae cottidianae et technicae et scientiarum naturalium necnon nomina earum Anglica – Theodisca - Francogallica – Hispanica – Italica. Quod lexicon picturatum editum est in domo editoriâ Monte Regio in provinciâ Quebecianâ (*Montréal/Québec*) Canadensi sitâ, cui nomen est „QA (= *Québec Amérique*)“. Ergo *Orbis Pictus* meus Hexaglottus est Dictionarium Visuale sextâ linguâ id est Latinâ necnon tomo altero, i.e. tomo Glossarum, exactum atque ditificatum. Bene spero ***Orbem Pictum Hexaglottum*** meum editum iri sub aegide ipsius ***ALF (Academiae Latinitati Fovendae)***, i.e. sodalicii Latinistarum internationalium, quod conventûs Latinos dispensat et libros êdit doctos et investigationem litteraturae Latinae omnium aetatum necnon Latinitatem vivam fovet et exauget.

Ergo ad opus lexicographicum, quod susceperam scribendum, necessarium mihi fuit nomina Latina invenire quadraginta ferê milium notionum modernae vitae cottidianae et technicae et scientiarum naturalium. Quae

partim excerpti ex litteris Latinis antiquis mediaevalibus neolatinis, partim, si in litteris lexicisque Latinis adhuc desunt, confinximus secundum normas verba confingendi antiquas a grammaticis traditas. Scilicet hoc opus fuisse valdê laboriosum, cui his 15 annis haud exiguam partem otii mei cum dignitate dedicavi.

Si quae notio moderna Latinê est denominanda, primo lexicis Latinitatis omnium aetatum accuratê perscrutandis videndum est, num iam exstet nomen Latinum, quo res sat aptê et rectê et intellegibiliter significetur. Talis investigatio semantica et historica interdum est valdê laboriosa, tamen interim ope interretis multo facilior et celerior facta est. In notione autem modernâ Latinê denominandâ oportet thesaurus verborum qui iam exstat totus exhaustiatur, sed si variis aetatibus litteraturae varia nomina inveniuntur, solemus praefere id vocabulum, quod est aureae Latinitati quam propinquissimum. Scilicet nullo modo sufficere longas circuitiones verborum in locum nominis proprii adhibendas – nisi res moderna semel tantum et obiter commemoratur. Interdum licet adhibere nomina antiqua sensu translato aut novo modo inter se coniuncta adhibere ad rem modernam, quae Romanis fuit prorsus ignota, appellandam. E.g. licet potionem nobis cottidianam, sed Romanis prorsus ignotam, quae appellatur Anglicê „*coffee*“, appellare „*potionem Arabicam*“, et i.q. Anglicê „*tea*“, „*potionem Sinicam*“. Sic licet loquamur in textibus rhetoricis aut poeticis, ubi semper studemus puritati sermonis antiqui servandae; sed si agitur de notione accuratius tractandâ, talia nomina – quae per iocum dicuntur „*procrustea*“ secundum lectos illius monstri mythi Thesei, qui fuerunt aut nimis breves aut nimis longi – praeferenda sunt nomina harum potionum recentiora q.s. „*cafea*“ et „*thea*“.

At si neque circuitiones verborum neque translationes vocum antiquarum sufficiunt, neque in litteris Latinis medii et novi aevi traditis nullum nomen aptum invenitur ad rem modernam denominandam, necesse est propugnatorem Latinitatis vivae confingere verbum novum, i.e. verbum novare, quale graecanicê dicitur *neologismus*. Talis confictio, si congruit cum antiqui sermonis rationibus antiquis phoneticis orthographicis morphologicis semanticis, nequaquam est res falsa et barbarica Latinisque auribus absona nulloque modo digna est, quae notâ Latinitatis *culinaris* censoriâ puniatur. Nam omni in linguâ vivâ colendâ necesse est nova

nomina invenire ad novas res denominandas – id quod ipse **Marcus Tullius Cicero (106 – 43 a.Chr.n.)** vir sermonis Latini omnium orator eloquentissimus verbis exprimit dicens „**novis rebus esse nova verba imponenda**“. Necnon **Erasmus Roterodamus (1467-1536)**, omnium humanistarum Latinissimus, Latinê scribentibus dissuadens a Ciceronianae elocutionis imitatione servili monet res suae aetatis, quas ille orator Romanus ne somnio quidem suspicari potuerit, nominibus denominare novandis.

*Rebus novis nova nomina imponere* – nonne haec est res omnino naturalis et consentanea neque ullo modo digna, quae vituperetur? Recordemur monitionem **Caroli Linnaei (1707-1878)** magni denominatoris plantarum bestiarumque Sueti, quae est: „**Nomina si desunt, perit etiam cognitio rerum**“. Ut exemplum afferamus: Aetate **Iohannis Volfgangi Goethe (1749-1832)** neque fuerunt talia instrumenta quae hodie theodisce appellantur „*Kühlschränke*“ (armaria frigidaria) neque „*Fernseher*“ (*televisionaria*); tamen nemo est, qui contendat haec non esse nomina theodisca aptê et rectê et intellegibiliter conficta.

At vix exstat litteratura ullius linguae alterius, in quâ describendâ philologi notionem aetatis et elocutionis „*classicae*“ definiant tanto cum rigore tantâque cum acerbitate, quantâ definiunt limites aetatis classicae Latinae. Nam ad prosaicam Latinitatem „*classicam*“ sive „*auream*“ iidem viri doctissimi nulla opera Latina referunt nisi *Caesaris* et *Ciceronis*, sed eorum nequaquam omnia: nam excipiunt *Epistulas* Ciceronis et *Caesaris Bellum civile*. Homini autem moderno classicâ elocutione scripturienti, qui tales censores severissimos sequitur, omnia opera post Ciceronem Caesaremque Latinê scripta Latinitatis esse minus bonae imitationeque non dignae si credat, reverâ sermone scribet potius mortuo quam vivo. At iam Erasmus bono vehementer pugnavit contra talem usum linguae parum naturalem, quo vena Latinitatis crudeliter insecta exsugitur, ut orbetur et sanguine et vi vitali.

Quomodo fieri potest, ut multa milia notionum recentiorum, quas esse et Cicero et Erasmus ne somnio quidem suspicati sunt, in Latinum convertantur? Lexicon quod finiturus sum complectitur quadraginta milia notionum. Quonam modo confingi possunt nomina nova ad notiones earum modernas denominandas? Nonne Latinitatis amator talia nomina



temere plassat? Nonne in iisdem confingentis dominatur mera licentia coloris originaliter Latini prorsus negligentissima, credens nullam diligentiam esse necessariam, quia Romani certê non iam possint de talibus figmentis neolatinis indignari?

Interdum reverâ quaedam dominatur licentia in verbis novis Latinis fingendis. In nonnullis foris interretialibus haud raro inveniuntur figmenta pseudolatina falsissimê conficta. At ii, qui lexica componunt a tantâ negligentîâ alieni sunt. Grammatica linguae Latinae quam accuratissimê et subtilissimê descripta est, praesertim cum lingua Latina esset prima omnium, quae digna esse investigatione scientificâ putaretur. Disciplina autem verba confingendi est etiam pars grammaticae. Neolatinista quibus rationibus ûti potest Latina verba confingendi? Neolatinam linguam nequaquam sentio esse linguam romanicam, quales sunt Italica, Hispanica, Catalanica, Lusitanica eqs. Sed neolatinam dico Latinitatem, quae colitur secundum grammaticam classicam, sed ditificatur neologismis, quatenus hoc necessarium est.

*Fons verba novandi feliciter scaturiens* sunt verba linguarum romanicarum, i.e. linguae italicae, raetoromanicae, hispanicae, catalanicae, lusitanicae, dacoromanicae. Quia vocabula harum linguarum magnam partem exorta sunt ex linguâ Latinâ, saepe licet latinum nomen notionis novae eo confingere, quod nomen romanicum reducitur ad radicem suam Latinam; scilicet adhibendam esse aptam desinentiam aptumve suffixum.

Exemplum nunc afferam suffixi, quod in confictione verborum neolatinâ maximê valet. Verbum, q.e. „*Computer*“, directê derivatum est ex linguâ anglicâ, indirectê ex Latinâ. In Angliâ saeculi undevicesimi hoc verbum significabat ratiocinatorem (theod. *Buchhalter*), sed postea translatum est ad machinam denominandam.

At in Latino sermone aliter ac in modernis oportet strictê distinguamus inter hominem, qui certam actionem exercet et instrumentum vel machinam, quâ eadem actio efficitur. Talis homo enim nuncupatur **nomine actoris**, quo habet suffixum „-tor“, sed machina denominatur **nomine instrumenti**, i.e. suffixis, qualia sunt „-trum, -culum, -bulum, mentum“ e.al. Itaque „computer“ a Latinitatis vivae propugnatoribus appellatur

„**computatrum**“; e contrario „**computator**“ dicitur homo, qui computat. Item „motor“ in Latino sermone est homo, qui aliquid movet (apud Martialem<sup>1</sup> „**motor**“ est is, qui movet infantuli cunabula); e contrario machina, quae theodiscê dicitur „*Motor*“, Latinê dicenda est „**\*motrum**“, i.q. nomen instrumenti *suffixo instrumentali* instructum.

*Neologistis*<sup>2</sup> nova verba Latina confingentibus basis quaedam multimodis utilis est *lingua neograeca*, praesertim eiusdem nomina ad scientias naturales resque technicas spectantia. Patet linguam graecam, quae iam aetate Ciceronis adhibita est ad res technicas et artificiales denominandas, unâ cum Latinâ fundamentum factam esse modernae terminologiae scientificae. Itaque etiam neograeca lingua quae constat maximam partem ex radicibus palaeograecis, novatoribus latinae linguae ansam praebet multiplicem ad thesaurum nominum Latinorum ditificandum.

Ita fit, ut neolatinistae i.q. theod. *Auto*, angl. *car* appellent „autocinetum“ secundum neograecum *αυτοκίνητο*, et theod. *Flugzeug*, angl. *aeroplane* Latinê „aeroplanum“ (neograecê *αεροπλάνο*); „*Autobus*“ appellatur aut „coenautocinetum“ aut „laophorum“ (ngr. *λεωφορείο*).

Instrumentum technicum, quo observando homines hodierni, cum putent esse maximi momenti, permultum temporis terere solent, anglicê dicitur *smartphone*. Cui equidem ipse ante decem ferê annos in symbolâ interretiali nomen imposui Latinum, q.e. *sophophonum*, secundum verba graeca q.s. σοφός et φωνή; σοφός non solum significat *sapiens*, sed etiam *callidum*, *peritum*, *versutum* et ferê id, quod anglicê dicitur „*smart*“. Altera pars huius vocabuli a me novati, quae congruit cum alterâ parte nominis, q.e. *telephonum*, ducitur e nomine vocis graeco, q.e. φωνή. Licet *sophophonum* nequaquam semper adhibeatur ad telephonandum, tamen nomen nondum est falsum. Brevi post symbolae meae publicationem obstupefactus sum animadvertens, quam celeriter neologismus a me creatus diffusus esset per interretialia fora et histologia („*blogs*“, i.e. „*web-logs*“); necnon deest in Vicipaediâ Latinâ! At tamen subirascor, quod collectores neologismorum ferê numquam indicant nomen fontis e quo hauserunt. Istis histologistis, qui se ipsos *blogarios* appellare solent, deesse videtur aliquae conscientia vel fidelitas historica – fortasse quia a

<sup>1</sup> cfr MART.11,39,1 motor fueras cunarum mearum.

<sup>2</sup> \**neologista*, -ae m., cfr fr. <https://www.cnrtl.fr/definition/néologiste>: „(Celui) qui use du néologisme ou qui crée des néologismes“.

labore et creativitate individuali alieni sunt, semper sôli confidunt intelligentiae gregis interretialis anonymae.

*Internet* Latinê nuncupamus *interrete*, ad *downloading* denominandum equidem proposui verbum *eretiendi* (i.e. verbatim *ex reti sumere*), et *posting* in Latinum converto verbo *irretiendi* (i.e. *reti imponere*). *Blog* (propriê: *web-log*, i.e. *diarium retiale*) secundum exemplum neograecum appello *histologion*, *blogger* a me Latinê dicitur *histologista*. Instrumentum q.e. anglicê *scanner*, baptizavi nomine graecanico, q.e. *haptoscopium*, i.e. verbatim *instrumentum*, quod *res attingendo aspectat aut probat*. Partes *televisionis* et *computatri*, quae anglicê dicuntur *screen* vel *display*, et theodiscê *Bildschirm*, ego appello *visificium*, angl. *laptop* in Orbe Picto meo est *computatrum gremiale* (*lap* est i.q. *gremium*).

Nunc sequantur nonnulla nomina neolatina ad vehicula spectantia: *helicopterum* est paene eiusdem formae ac anglicum verbum, quod inde derivatum est (utrumque ducitur a verbis graecis, q.s. ἑλιξ i.e. angl. *screw*, theod. *Schraube*, lat. *cochlea*, et πτερόν i.q. *ala*, theod. *Hubschrauber*); *rucheta*, verbum mediaevale, est i.q. angl. *rocket*, theod. *Rakete*; *navis subaquanea* sive *navis submarina* est i.q. *submarine* et *U-Boot*. Vehiculum bellicum, quod anglicê *tank*, theodiscê *Panzer*, a prioribus neologistis parum subtiliter appellatum est *currus armatus* sive *currus bellicus* sive *currus cataphractus*; sed non omne autocinetum cataphractum est i.q. *tank/Panzer*; ceterum quonam nomine nuncupanda sunt varia genera talium vehiculorum, si nomen ipsum iam est bipartitum? Cavendum est, ne fiant nomina saepius adhibenda nimis longa parumque utilia. Praeterea talia figmenta nominum facile fiunt molesta, si in eâdem sententiâ alia quoque sunt attributa adiectiva. Itaque praestat verbum adhibere antiquum palaeograecum, immo Homericum: ἄρμα, ἄρματος n., quod iam apud poetam Europae vetustissimum valet *currum bellicum*. Etiam in sermone neograeco hoc verbum adhibetur ad modernos currûs bellicos denominandos necnon perfacile est adiectiva neograeca q.s. ἀρματικός, i.e. *ad currum bellicum pertinens* et ἀντιαρματικός, i.e. *contra currûs bellicos impugnandos utilis*, ad Latinas formas redigere, q.s. *harmaticus* et *antiharmaticus* (exempla attributi: *copiae harmaticae* „*Panzertruppen*“, *defensio antiharmatica* „*Panzerabwehr*“, *manuballista antiharmatica*, i.e. angl. „*bazooka*“, theod. „*Panzerfaust*“). Licet aliquis litteram „h“

initialem aegrê pronuntians queratur se istud nomen confundere cum verbo Latino q.e. *arma*: exercendo haec difficultas facile superabitur...

**Gaius Licoppe**, Nestor Academiae ALF et auctor „Novi Calepini“ et editor „Melissae“ et veteranus innumerorum conventuum Latinê loquendi, vehiculum recentius, quod anglicê dicitur „UAV“ (*unmanned aerial vehicle*) vel *drone*, theod. *Drohne*, nuper togâ donavit: **\*téléplanum**, -i n.“.

Id aeroplanum, quod anglicê appellatur *jet*, theodiscê *Düsenflugzeug*, Latinê a Vaticanis appellata est *aeroplanum pyraulocineticum*; quod paululo nimis polysyllabicum cum mihi videatur (si cum anglico comparatur) dicam *auloplanum*; *bomber* dico *bomboplanum*, angl. *glider*, theod. *Segelflugzeug* Latinê dicam *anemoplanum*.

*Parachute/Fallschirm* Latinê appellatur *umbella decidua* (sensu generali) et *umbella desultoria* (theod. *Sprungfallschirm*), si ipse homo pendet ex tali umbellâ; sed si onus non est humanum, appellatur *umbella oneraria* (theod. *Lastenfallschirm*); *Bremsfallschirm* Latinê est *umbella frenatoria*, *Sprintschirm* est *umbella \*cursitoria*. *to surf/surfen* Latinê denominavi *velitabulare* (si agitur de *windsurfing*), et *unditabulare*, si est *wave riding/Wellenreiten*. Angl. *snowboarding* est lat. *nivitabulatio* et lat. *patinatio uniseriata* est i.q. angl. *Inline-Skating*. Sufficiant in praesenti haec exempla; qui plura cupit, patienter expectet, usque dum in lucem êdatur *Orbis Pictus Hexaglottus!*

### **Modernarum fabularum versiones Latinae**

Licet renovatoribus linguae Latinae labores lexica componendi et verba novandi sint duri et magni maximique momenti, tamen non sunt pars laborum linguae renovandae difficillima. Nam difficultas maxima eorum qui consilium ceperunt, ut linguam Latinam ad usum modernum adaptarent et demonstrarent hanc linguam antiquam normis grammaticae classicis servatis posse adhiberi ad totum mundum saeculi vicesimi primi materialem atque mentalem comprehendendum et describendum, est Latina translatio sive interpretatio textuum litteraturae modernae et argumento et elocutione plurimum valentium, e.g. fabulae romanicae verê dignae, quae referantur in numerum operum artificiosorum. Maximê mihi cordi est tales textûs vestimento Latino donare. Equidem vehementer delector verbis theodiscis in Latinum convertendis. Suavissimê afficior

textuum et veterum et recentiorum recentissimorumve, praesertim narrationum aut considerationum philosophicarum, translatione sive interpretatione quam Latinissimâ, i.e. normis grammaticae classicis observandis. Talis enim translatio mihi videtur esse auctoris **Latinophili**<sup>1</sup> obrussa i.e. examen, quo probetur, utrum aliquid metallum sit verum aurum an auri imitamentum vilissimum. Summo cum labore ingenique auctorum admiratione in Latinum converti *Iohannis Volfgangi Goethei* „**Wertherum**“ et Gerhardi Hauptmannii „**Thilum custodem ferriviarium**“ et Edgarii Allani Poe „**Puteum et Pendulum**“, necnon Patricii Süskind „**Fragrantiam**“.

*Fragrantia*, quae est fabula romanica postmoderna, omni interpreti est eximiae difficultatis eo quod poeta aliter ac plerique fabularum narratores in eodem minus studet opticis vel visualibus **experientiis** personae praecipuae, Grenulii myropoei monstruosi describendis, sed multo magis **olfactoriis**, i.e. mundo odorum, fragrantiarum foetorumque, quem Patricius in primo iam operis capitulo describit verbis flagrantissimis.

At quo modo fieri potest, ut talis fabula postmoderna convertatur in sermonem Caesaris Ciceronisque? Istac difficultate, quae primo aspectu visa mihi est inexcusable, paulo post vehementer excitata est cupiditas mea Latinê reddendi ambitiosa.

Ceterum **Arthurus Schopenhauer (1788-1860)**, philosophus nequaquam minoris momenti, in *Paralipomenis* suis interpretationi textuum sermone proprio scriptorum Latinae Graecaeve maximam vim attribuens explicat, tale opus hermeneuticum quantum valeat ad iuvenes ratione philologâ et philosophicâ erudiendos.

---

<sup>1</sup> Adiectivum vel substantivum q.e. +**latinophilus** (cfr +latinophilia) formâ graecâ videtur primo inveniri in litteris byzantinis; ibi significat mores occidentales in aulâ Byzantinâ apparentes. cfr <https://www.doaks.org/research/byzantine/fellows/rodriguez-suarez-2018-2019>. „I studied the primary sources dealing with the reign of the so-called **Latinophile** emperor, Manuel I Komnenos (1143–1180). In the process, I collected and analyzed a number of references concerning the use of **Western practices at the Byzantine court**.“ - Anglicum verbum, q.e. *latinophile* potest significare amatorem linguae Latinae: cfr <https://en.wiktionary.org/wiki/Latinophile>: „**An enthusiast of the Latin language**.“ (interdum angl. „latinophilia“ est etiam amor Americae australis – sed haec est alia res). - **Petrus Lichtenberger**, quidam Austriacus lexicographus et neologista intrepidus atque indefessus ([http://www.imperiumromanum.com/lichtenberger\\_01.htm](http://www.imperiumromanum.com/lichtenberger_01.htm): <http://www.lateinlexikon.com/>: „Lexicon Latinum Hodiernum“), qui multa nova verba Latina in interreti publicat, saepe adhibet verbum, q.e. „**Latinophili**“ ad **amicos Latinitatis vivae** denominandos.

Quae cum ita sint, dolendum est, quod e scholis et universitatibus iam pridem ablata et eiecta sunt exercitia Latinê reddendi atque scribendi.

Haec hactenus. Ea quae modo dixi linguâ theodiscâ<sup>1</sup>, nunc comprehendam verbis Latinis. Audite, auditrices auditoresque maximê honorabiles!

1) Cum Unionis Europaeae multiplicitas linguarum sit enormis, consentaneum est, ut adhibeatur lingua officialis obligatoria, quae dicitur „*lingua franca*“.

2) Haec lingua franca oportet sit neutralis, id est ne sit nationalis.

3) Ex alterâ parte oportet haec lingua neutralis ratione etymologiae et cultûs civilis referat ad omnes Unionis Europaeae linguas atque gentes.

4) Esperantica lingua, quae est lingua non naturalis, sed consulto conficta, facilius discitur quam linguae naturales, sed non continet modos dicendi, quibus commotiones animae exprimuntur, sensum ambiguitatis, metaphoras et locutiones proverbiales nec litteraturam uberrimam longo decursu aetatum exortam.

5) Lingua franca Europae omnium optima est lingua Latina.

6) Latinitas enim inde ex interitu Imperii Romani Occidentalis usque ad tempus nostrum numquam verê mortua fuit.

7) Lingua Latina cottidianâ in institutione colloquendi, si adhibetur pronuntiatu restitutus, haud difficiliter discitur quam lingua moderna.

8) Vocabula moderna normis verba confingendi grammaticae antiquae novari possunt. Orbis Pictus Hexaglottus, lexicon copiosissimum, continet 40.000 notionum; quod a me ditificatur vocabulis Latinis.

9) Etiam litteratura moderna, quae est argumento difficili atque structurâ artificiosâ, in Latinum converti potest satis aptê atque convenienter.

10) Europa verê coadunata oportet insit animis omnium civium Europae, id est oportet homines sentiant se esse cives verê Europaeos.

Auditrices Auditoresque maximê honorabiles, summas gratias ago pro patientiâ et attentione vestrâ!

**HANC ACROASIN THEODISCE FECIT ET IN LATINUM SERMONEM CONVERTIT LEO LATINUS.**

---

<sup>1</sup> Sic dixi in acroasi theodiscâ ante duos ferê annos coram *Leonibus* Neo-Ulmensibus factâ, quam nunc ornavi vestimento Latino.

<http://www.simons-law.com/library/pdf/e/338.pdf>

<https://www.audiatur-online.ch/2018/10/04/das-wunder-der-auferstehung-der-hebraeischen-sprache/>

## DE MIRACULO LINGUAE HEBRAICAE RESUSCITATAE

*Hebraicae Linguae resuscitationem esse rem in historiâ cultûs civilis singulariter ac excellenter partam.*

Scripsit [Amotz Asa-El](#) d.4. m.Oct. a.2018, Latinê reddidit Leo Latinus d.26. m.Dec. a.2022.



„Quibusnam hominibus deservio?“, ex se ipse quaesivit *Jehuda Leib Gordon* (1830–1892), in tenebris et tranquillitate et frigoribus Lituaniae scribens lineas hebraicas.

Cum per annos carmina et saturas et parabolas scripsisset linguâ Hebraicâ, linguâ, quâ per saecula nemo activê locutus erat, *Gordonus* ex se ipso hoc quaesivit quod unâ cum eo quaerebant nonnulli auctores, qui id sibi proposuerant, ut vitam redderent linguae, quae antiquis iam temporibus post terrae amissionem vi vitali orbata erat. Haec linguae Hebraicae resuscitatio demum perfecta est decursu centum quinquaginta annorum, sed fuit opus cultûs civilis humanique incomparabiliter splendidum.

Tamen certum est linguam Hebraicam etiam antea numquam prorsus emortuam esse.

Omnis parvulus Iudaeus imbutus erat Hebraicê legendo et scribendo et orando; adulescentes debuerant textûs religiosos ediscere et magistri sermone Hebraico disputaverant de quaestionibus religiosis.



Praeterea Iudaei in diasporâ viventes hebraicê scripserunt opera memoratu dignissima, velut *Mischna*, i.e. codicem iuris aetatis Romanae, eiusque operis partes sequentes, quae sunt *Mischne Tora* (saeculo duodecimo a *Moses Maimonides* compositum) et *Schulchan Aruch* (quod saec. 16. scripsit *Rabbi Joseph Karo*).

Tamen sermo saecularis Hebraicus, quo Iudaei antiqui usi erant agrum colentes et mercaturam facientes, regentes et poetantes, nunc non iam adhibebatur nisi ad liturgiam et ritûs et doctrinam colendas. Paulatim et gradatim Iudaei vitam cottidianam agentes necnon artibus litterisque dediti Hebraicê loqui desinebant et aliis linguis ûtebantur.

*Philo Iudaeus* philosophus (20 a. Chr.–50 p. Chr.) scripsit *graecê*, *Maimonides* (1135-1204) „*Directorem dubitantium*“ scripsit *arabicê*.



*“Today I met the young fanatic who tried to convince me that what our movement needs is to adopt Hebrew as our national language.*


*It is, of course, ridiculous.”*

—Theodor Herzl,  
personal diary, 1898,  
recounting his  
meeting with  
Eliezer Ben Yehuda,  
reviver of the  
Hebrew language.

*Get fanatical about the Hebrew language at [holylanguage.com](http://holylanguage.com).*

*Baruch de Spinoza (1632-1677), moderni saecularismi praenuntius, scripsit Latinê, Moses Mendelssohn (1729–1786), propheta illuminismi Iudaici, scripsit theodiscê, Simon Dubnow (1860-1941), historicus Iudaeorum Europae orientalis, scripsit russicê.*

Simul Iudaei novas linguas confinxerunt Hebraicam linguam cum aliis commiscentes. E.g. exorti sunt sermo Iudaeorum hispanicorum *Ladino* dictus et dimidia ferê decuria generum sermonis arabico-iudaici necnon sermo *Iiddicus* Iudaeorum Europae, in quo inter se commiscebantur voces *hebraicae* et *theodiscae* et *aramaicae* et *slavicae*.



The Hebrew language will go from  
the synagogue to the house of  
study, and from the house of study  
to the school, and from the school it  
will come into the home and...  
become a living language

— Eliezer Ben-Yehuda —

AZ QUOTES

Sermone iiddico loquebantur Iudaei a Russiae imperialis coloniôlâ Iudaicâ<sup>1</sup> usque ad Neo-Eboracensem Fluminis Orientalis ripam inferiorem<sup>2</sup>. Cum sermo Iiddicus tam latê diffusus esset, factus est etiam sermo illorum Iudaeorum, qui holocaustum perpessi sunt, frequentissimus et unâ cum iisdem miserrimis interiit.

At saeculo undevicesimo, quo nemo istam ingentem calamitatem praevidit, Iudaei viri docti coeperunt somnare de sermonis Hebraici resuscitatione – alii hebraicê scribentes, alii hebraicê reverâ loquentes.

Studia hebraicê scribendi primos fructûs tulerunt in Europâ, ubi in Imperio Habsburgensium et Germanorum et Russorum Imperio Caesareo exorti sunt commentarii periodici hebraicê scripti. At studia hebraicê loquendi incohata sunt in terrâ Israeliâ.

Huic studio alii reponderunt scepticê alii irrisoriê alii hostiliter.

Scepticê de sermonis Hebraici usu loquelari dixit ipse **Theodor Herzl**, qui in *edicto suo manifesto*, quod inscribitur „*De civitate Iudaeorum*“, quaesivit hoc: „*Quis nostrum tam bene scit Hebraicê, ut hac linguâ loquens postulet tesseram ferrivariam?*“.

Irrisionem atque hostilitatem passus est Iudaeus vir doctus in Russiâ natus, qui a.1881 Hierosolymam transmigravit ibidemque condidit duas ephemerides Hebraicas necnon liberos suos educavit semper Hebraicê loquens et primum lexicon Hebraicitatis veteris et novae scribere coepit.

<sup>1</sup> colôniola Iūdaica i.q. Shtetl, Schtetl, Stetl ( שטעטל; pl. שטעטלעך, shtetlech; theod. „Städtlein“)

<sup>2</sup> Neo-Eboracensis Flūminis Orientālis rīpa inferior orig. Lower Eastside.

**Eliezer Ben-Jehuda** (1858–1922), vir imbecillus, parvâ staturâ, perspicillo instructus rabbinis ultraorthodoxis videbatur esse turbator politicus necnon adversarius saecularizans. At quamquam pugnabat solitarius - et aliquando ab Osmanis propter nationalismi propagationem in carcerem est coniectus – proposito suo assequendo fortiter atque fideliter studere perseveravit.



Ecce ELIEZER BEN-JEHUDA Lexico suo Hebraico pertractando intentissimê deditus, a.1912.

In lexico ephemeridibusque suis verbis bibliae temporalibus et substantivis creavit nova vocabula Hebraica, quibus denominaret tales novitates quales sunt *electricitas* et *hamaxa ferriviaria* et *glacies edibilis* necnon notiones abstractas, quales sunt *initiativa* et *systema* et *taedium* sive *molestia temporis*. In quodam gymnasio, ubi munere fungebatur magistri, coepit cum discipulis suis colloqui Hebraicê. Mox in urbe Hierosolymae, ex illo tempore, quo a militibus Romanis erat vastata, primum omnium per vias resonuit sermo Hebraicus.

Hoc experimentum factum est cum successu tam felici, ut quinque annis post in tribu *Rishon Le-Zion*, quae sita est versus meridiem ab hodiernâ urbe *Telaviv*, conderetur schola ex integro hebraica. Studia alias quoque scholas huiusmodi aedificandi impedita sunt a parentibus scepticis, qui timerent, ne liberi sui haberentur pro parum doctis, si loco linguae theodiscae aut francogallicae instituerentur linguâ Hebraicâ.

Tamen Hebraicae scholae Hebraicaque nepiagogia tam vehementer percrebrescebant, ut annis tricenariis iam aliquot milia hominum educarentur Hebraicê loquentes.

### **Hebraicitas moderna saeculi vicesimi primi.**

Hodie 9 ferê miliones Iudaeorum israelicorum Arabumque et aliquot milia aliorum peregrê versantes loquuntur Hebraicê.

Aeroplana volant, quae gubernantur ab aeronautis Hebraicê inter se colloquentibus, naves submarinae reguntur sermone Hebraico adhibito, sectiones cerebrales fiunt a chirurgis Hebraicê loquentibus, scientistae docent atque investigant Hebraicê loquentes et scribentes, campi lusorii et stadia pedifolliaria resonant ab hominibus „Io triumphe!“ et „Vae nobis!“ Hebraicê clamantium necnon quotannis publicantur novae fabulae romanicae Hebraicê scriptae, opera itineraria, coquinaria, cinemata, fabulae theatricae, satura cabaretorum, quibus complentur innumera bibliopolia, cinematea, theatra; greges autem musicorum roccianorum alliciunt aliquot milia spectatorum in odea et amphitheatra et viridaria subdialia, qui cum iisdem concinant permulta cantica hebraica moderna.

Sermo hebraicus tam fideliter in patriam suam revertit, ut *Iesaia* et *Ieremias* et *Batseba*, si hodie vespere medianum familiae Israelianae cuiuscumque intrarent et loqui inciperent, a parentibus et a parvulis intelligerentur. Haec enim est res, quâ Israeliani cum historiâ gentis suae remotissimâ coniungantur eâdemque firmissimê cohaeserunt immigrantes et fugientes qui septuaginta linguis inter se diversis usi intraverunt terram parvam, de quâ iterum iterumque pugnabatur.

Hodie ab illo loco, ubi *Ben-Jehuda* noctes degebat lexico suo deditus copiosissimo, itinere paucarum minutarum remota est zona pedestris frequentatissima nomine huius viri honorata.

Tempore, quo, ut refert UNESCO, dimidia ferê pars sex milium linguarum huius mundi interitura est necnon studia linguas quales sunt celticae et vasconica et cambriana revivificandi adhuc frustra fiunt, sermone Hebraico hodie decem ferê miliones hominum loquuntur idque postquam vix saeculum transactum est ex illo tempore, quo neminis iam fuit sermo patrius.

Velocitate et intensitate et amplitudo, quibus lingua Hebraica est resuscitata, evidenter apparet, quam ridicula sint opprobria, quibus dicitur civitas iudaica e nihilo incidisse in terram aliorum. Etsi Hebraicam linguam non intellegis, senties, quam viva eadem sit neque eandem e caelo in terram incidisse, sed potius e terrâ lapidibus subsitâ erepsisse. Lingua Hebraica, cum servata esset sacrificiis doctrinâque Iudaicâ, tamquam scintilla gliscens, quae excitanda erat leni tantum aurâ, ut fieret flamma – flamma, quam nunc de die in diem portant miliones hominum hebraicê loquentium.

Ut respondeamus illi quaestiunculae ***Iehudae Leib Gordonii***: iidem quidem homines sunt, quibus deservierit.

Scripsit [Amotz Asa-El](#) d.4. Oktober 2018, Latinê reddidit Leo Latinus d.26. m.Dec. a.2022.





## BACCIBALLUM QUID SIT

ThLL 02,1667,3739:

bacciballum acc. [*orig. inc., fortasse cf. c. bac(c)a; v. p.286. Th.*] PETRON.61  
noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum.

vgl. GEORGES, Lat. -dt. Handwörterbuch, tom.I, col.775, s.v.: "**bacciballum**, i, n. (bacca), etwa **d i c k e N u d e l**, unser **vulg. d i c k e H u s c h e l**, einem beliebten Frauenzimmer, pulcherrimum bacciballum, Petronius, 61,6."

### FORCELLINI



<http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=baciballum>

**BĀCĪBALLUM** vel bacciballum, i, n. 2. vox composita ex *baca*, qua significat gemmam pretiosam, et βάλλω *jacio*. Dicitur translate de puella amata, quae Gallice *bijoux*, Italice *giojello* dici posset. *Petron. Fragm. Tragur.* 61. *Burmam.* Noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum baciballum. Ita interpretatur *Franc. Oriolius Opusc. Letter. Bologn. p.* 223., itaque habet *Cod. Tragur.*, quod perperam alii aliter efferunt. Haud tamen spernenda est lectio *basioballum*, quam nonnulli tuentur, quaque ferme idem significaretur, hoc est puella quae basia suaviter jactit.



# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

GREGOR **IV**S **M**AGN**V**S

PAPA **I**N**CLY**T**V**S

**D**O**C**TOR **E****CCL**ES**I**AE SAPI**I**ENS

ORET PRO NOB**I**S

MMXXII

## Enid Blyton

\* 11. August 1897 in Dulwich, London Borough of Southwark  
 † 28. November 1968 in Hampstead



VI G I N T I Q V I N Q V E L V S T R I S A N T E  
 I I I I D V S S E X T I L E S N A T A  
 E N I D B L Y T O N

I V C V N D A S F A B V L A S P V E R I L E S S C R I P S I T

M M X X I I

Am 11. August vor 125 Jahren wurde ENID BLYTON geboren.

Sie hat beliebte Kinderbücher geschrieben.

ENID BLYTON war eine britische Schriftstellerin. Bis heute ist Blyton mit ca. 700 Werken und über 600 Millionen verkauften Büchern international eine der kommerziell erfolgreichsten Jugendbuchautorinnen. Sie steht an dritter Stelle der am meisten übersetzten Autoren ihres Landes. Die Bücher wurden in über 40 Sprachen übertragen. Zu den Werken Enid Blytons zählen die Buchreihen *Fünf Freunde*, *Die schwarze Sieben*, *Hanni und Nanni*, *Dolly*, *Geheimnis um*, *Rätsel um* und die *Abenteuer-Serie*.

In den 1960er und 1970er Jahren wurde der ideologische Gehalt ihrer Bücher bemängelt: Blyton propagiere von einem bürgerlichen Standpunkt aus Klassenvorurteile; zudem seien ihre Werke rassistisch und sexistisch.

In neueren Arbeiten wird die Kritik zunehmend relativiert; Blytons Bücher seien ähnlich wie Märchen darauf ausgerichtet, grundlegende Bedürfnisse der kindlichen Leser zu erfüllen, und würden damit die Freude am Lesen wecken. Nach Otto Brunken biete „Schwarzweißmalerei“ die Voraussetzung dafür, die Leser zu lenken. Sie können Stellung beziehen und sich mit den Figuren identifizieren oder sie ablehnen. Die fehlenden Konturen der Gestalten stellten Projektionsflächen für die Wünsche, Vorstellungen, Schwächen und Begehrlichkeiten des kindlichen Lesers zur Verfügung. Kurze Spannungsbögen entlasteten zudem empirisch. Die Sorge und Ungewissheit wird baldigst in positiven Ausgang verwandelt. Außerdem könne der Leser die Kulturtechnik „Lesen“ einüben.

*Auszug aus Wikipedia*



## David Kalisch

\* 23. Februar 1820 in Breslau

† 21. August 1872 in Berlin



TRIGINTA LVSTRIS ANTE  
DAVID KALISCH  
SCRIPTOR  
BEROLINI DECESSIT  
AETATIS LII

MMXXII

Vor 150 Jahren starb in Berlin der Schriftsteller  
DAVID KALISCH im Alter von 52 Jahren.

### Biographie

**1820** Am 23. Februar wird David Kalisch als Sohn eines jüdischen Pelzhändlers in Breslau geboren.

**1837** Kalisch besucht zunächst das Gymnasium, ist aber durch den frühen Tod seines Vaters und der daraus folgenden Verarmung der Familie gezwungen, eine kaufmännische Lehre anzutreten.

**1844** Kalisch macht jedoch nicht wie erhofft Karriere, sondern geht nach Paris, wo er sich mit Gelegenheitsarbeiten über Wasser hält und mit dem Boulevardtheater in Kontakt kommt.

**1846** Er geht nach Berlin und veröffentlicht dort bald seine erste Posse »Ein Billet von Jenny Lind oder Das erste Debüt in Schöneberg«.

**1847** Uraufführung »Einmalhunderttausend Thaler!« in Berlin. Das Stück bedeutet seinen Durchbruch und macht ihn zu einem vielgespielten deutschsprachigen Bühnenautoren.

**1848** Im revolutionären Berlin gibt er den »Kladderadatsch«, das »Organ für und von Bummler« heraus. Trotz Skepsis der Behörden wegen des satirischen Inhaltes kann das Blatt sich als einziges seiner Art bis 1944 halten.

Weitere Redaktionsmitglieder sind u. a. Kalischs Cousins Ernst Dohm und Rudolf Löwenstein.

**Ab 1849** Kalischs satirische Politposen fallen oft ganz der Zensur zum Opfer oder dürfen nur in sehr entschärften Versionen aufgeführt werden.

**1851** Schließung des Königsstädtischen Theaters; Kalisch wird Hausautor des späteren Wallner-Theaters und feiert Erfolge.

**1872** Am 21. August stirbt David Kalisch in Berlin und wird auf dem Friedhof der St. Matthäi-Gemeinde beigesetzt.

Quelle: [Kalisch, David, Biographie - Zeno.org](http://Kalisch, David, Biographie - Zeno.org)

## Rudolf Alexander Schröder

\* 26. Januar 1878 in Bremen

† 22. August 1962 in Bad Wiessee

Rudolf Alexander Schröder war ein deutscher Schriftsteller, Übersetzer, Dichter, evangelischer Kirchenlieddichter sowie Architekt und Maler.

RVDOLPHVS ALEXANDER SCHROEDER  
 SCRIPTOR POETA INTERPRES ILLVSTRIS  
 BIS TRIGINTA ANNIS ANTE OBIIIT  
 AETATIS LXXXIV

MMXXII

Vor 60 Jahren starb der berühmte Schriftsteller, Dichter und Übersetzer  
 RUDOLF ALEXANDER SCHRÖDER. Er wurde 84 Jahre alt.

Rudolf Alexander Schröder übersetzte die *Ilias* und die *Odysee*, Werke von Vergil, Horaz, Corneille, Racine, Molière, Shakespeare (zehn Dramen), T. S. Eliot und veröffentlichte Nachdichtungen niederländisch-flämischer Lyrik. Er übertrug auch altkirchliche (gregorianische) Hymnen im Alpirsbacher Antiphonale.

Schriftsteller und Intellektuelle schlugen ihn Ende der 1950er Jahre mit Unterstützung der Nobelpreisträger T. S. Eliot und Albert Schweitzer „als großen Europäer“ für den Literatur-Nobelpreis vor.

Rudolf Alexander Schröder und seine *Hymne an Deutschland*

1950 schrieb Schröder die *Hymne an Deutschland*, die nach dem Wunsch von Bundespräsident Theodor Heuss Nationalhymne der Bundesrepublik Deutschland werden sollte. Als Komponisten der Hymne hatte Heuss ursprünglich Carl Orff vorgesehen; dieser verwies Heuss jedoch an den Komponisten und Pianisten Hermann Reutter.

Zum ersten Mal der Öffentlichkeit präsentierte Heuss das Lied im Anschluss an seine im Rundfunk übertragene Neujahrsansprache zum Jahreswechsel 1950/51. Er konnte sich damit jedoch nicht durchsetzen; es wurde als *schwäbisch-protestantischer Nationalchoral* bezeichnet und als *Theos Nachtlid* verspottet. Im Jahr 1952 kamen Heuss und Bundeskanzler Konrad Adenauer schließlich in einem Briefwechsel überein, das *Deutschlandlied* von Heinrich Hoffmann von Fallersleben als deutsche Nationalhymne anzuerkennen.

Die drei Strophen der *Hymne an Deutschland* haben jeweils eine der christlichen Tugenden *Glaube, Hoffnung, Liebe* als Leitwort: *Land des Glaubens, deutsches Land – Land der Hoffnung, Heimatland – Land der Liebe, Vaterland*. In der ursprünglichen Fassung Schröders begannen die drei Strophen mit „Herz der Treue, Vaterland“ / „Herz der Hoffnung, Heimatland“ / „Herz der Liebe, deutsches Land“. Heuss bestand jedoch auf den christlichen Werten *Glaube / Hoffnung / Liebe* aus dem 1. Korintherbrief. Der evangelische Kirchenlieddichter Schröder protestierte anfangs gegen eine in diesem Zusammenhang unsachgemäße Verchristlichung seines Textes; Heuss' Formulierung übernehme „zu willkürlich eine sakral gewordene Formel vom religiösen aufs säkulare Gebiet“. Heuss begründete dagegen in einem Brief an Schröder den von ihm gewünschten Liedanfang *Land des Glaubens* mit einer „spezifisch-religiösen Mächtigkeit“, die im deutschen Wesen vorhanden sei.

## Robert der Mönch

auch Robert von Reims oder Robert von Saint-Remi

\* um 1055

† 23. August 1122

Robertus Monachus war ein mittelalterlicher französischer Kleriker. Er verfasste die „Historia Iherosolimitana“, eine Chronik über den ersten Kreuzzug.



St. Gallen, Stiftsbibl., Cod. 658 Robertus Monachus, *Historia Hierosolymitana*, dt. (Zweite anonyme Übersetzung) Bl. 44v, 45r

ROBERTVS MONACHVS  
 CHRONISTA FRANCICVS  
 ANTE TER TRECENTOS ANNOS  
 DENATVS

MMXXII

ROBERTUS MONACHUS, ein französischer Chronist, starb vor 900 Jahren. Roberts lateinische Kreuzzugs-Chronik wurde im 15. Jahrhundert vier Mal ins Deutsche übersetzt. Es existieren zwei anonyme Fassungen (jeweils in zwei Handschriften überliefert), außerdem eine Übersetzung des Breslauer Stadtschreibers Peter Eschenloer (ebenfalls in zwei Handschriften überliefert) sowie eine 1482 von Johann Bämmler in Augsburg gedruckte Inkunabel, von der im ISTC weltweit 15 Exemplare nachgewiesen sind. Der Text der gedruckten Übersetzung, die dem Ulmer Stadtarzt und Humanisten Heinrich Steinhöwel zugeschrieben wird (wobei dessen Autorschaft heutzutage allerdings umstritten ist), findet sich auch noch in zwei Handschriften (datiert auf die Jahre 1464 und 1471) und auszugsweise noch in einer weiteren, von Konrad Bollstatter geschriebenen, Handschrift.

## Clara Arnheim

\* 24. April 1865 in Berlin

† 28. August 1942 im KZ Theresienstadt

Clara Arnheim war eine deutsche Malerin. Sie gehörte zu denjenigen Frauen in der Kunst, die Malerei als Beruf ausübten. In der Zeit des Nationalsozialismus als Jüdin verfolgt, wurde sie 1942 im Holocaust ermordet.



CLARA ARNHEIM  
 BEROLINI NATA  
 PICTRIX IVDICA  
 QVATER VIGINTI ANNIS ANTE  
 VRBE THERESIAE OBIIIT  
 AETATIS LXXVII

MMXXII

Die in Berlin geborene jüdische Malerin

CLARA ARNHEIM

starb vor 80 Jahren in Theresienstadt.

Sie wurde 77 Jahre alt.

**Michail Sergejewitsch Gorbatschow**  
(Michail Sergeevič Gorbačëv)

\* 2. März 1931 in Priwolnoje, Russische SFSR  
† 30. August 2022 in Moskau



MICHAEL SERGII FILIVS GORBACEV  
INSIGNIS POLITICVS SOVIETICVS AC RVSSICVS  
VITA CESSIT  
AETATIS SVAE XCI

MMXXII

Der ausgezeichnete sowjetische und russische Politiker  
MICHAIL SERGEJEWITSCH GORBATSCHOW  
**ist im Alter von 91 Jahren gestorben.**

## Diana, Princess of Wales

(dt. Fürstin von Wales)

geboren als Diana Frances Spencer

\* 1. Juli 1961 in Sandringham, Norfolk, England

† 31. August 1997 in Paris, Frankreich

Lady Diana war als erste Ehefrau des britischen Thronfolgers Prinz Charles von 1981 bis 1996 Kronprinzessin des Vereinigten Königreiches. (Im deutschen Volksmund wird Diana bis heute nicht nur als „Prinzessin Diana“, sondern oft auch als „Lady Diana“ oder „Lady Di“ bezeichnet, obwohl sie seit der Hochzeit den Titel „Lady“ nicht mehr führte.)

Schon zu Lebzeiten erlangte Diana den Status einer Medien-Ikone und wurde weltweit so populär, dass sie zeitweise als die berühmteste und am häufigsten fotografierte Frau der Welt galt.

Aufgrund der überwältigenden Trauer der Bevölkerung anlässlich ihres Unfalltodes wurde (entgegen den Regeln des Protokolls) am 6. September 1997 für Diana eine öffentliche Beisetzungszeremonie durchgeführt. Als enger Freund der Verstorbenen sang der britische Popmusiker Elton John bei der Feier *Goodbye, England's Rose*.

Quelle: Auszüge aus Wikipedia



«LADY DIANA»

CONIVNX PRISTINA CAROLI PRINCIPIS WALLIAE

ICON ILLVSTRIS ATQVE «ROSA ANGLIAE»

QVINQVIES QVINQVE ANNIS ANTE

LV TETIAE VITA CESSIT

AETATIS XXXVI

MMXXII

LADY DIANA, früher verheiratet mit Charles, dem *Prince of Wales*,  
eine berühmte Ikone und *England's Rose*,

**starb vor 25 Jahren in Paris. Sie wurde 36 Jahre alt.**



## António Lobo Antunes

\* 1. September 1942 in Benfica

António Lobo Antunes ist ein portugiesischer Psychiater und Schriftsteller.

Lobo Antunes gilt als einer der bedeutendsten portugiesischen Schriftsteller der Gegenwart. Seine Werke beschäftigen sich immer wieder mit der Geschichte Portugals. Die Themen seiner frühen Werke sind der Kolonialkrieg, Tod, Einsamkeit, Lebens- und Liebesfrust. „Seine Romane sind barocke Untergangsgeschichten vom portugiesischen Wesen und Verwesen, bizarr und melancholisch“, schreibt *Die Zeit* in einem Artikel von 1997. Er wird seit Jahren als Anwärter auf den Literaturnobelpreis angesehen. Seine Sujets sind Portugals Geschichte und Gegenwart, immer verbunden mit Angst, Gewalt, Tod, Krankheit, Trennungen, wobei sein Hauptaugenmerk auf dem Schicksal „normaler“ Menschen und kleiner Randexistenzen liegt. Atmosphärisch und psychologisch dicht und sprachlich unkonventionell kritisiert er die moderne Gesellschaft. Eine Flut von Metaphern und eine facettenreiche erzählerische Energie erzeugen teilweise nahezu barocke Werke. Seine Erfahrungen im Kolonialkrieg verarbeitete er im Roman *Der Judaskuß* (*Os Cus de Judas*, 1979), mit dem er in Portugal den Durchbruch als Schriftsteller erreichte.

Quelle: Wikipedia



ANTE BIS QVADRAGINTA ANNOS  
 KAL. SEPTEMBRIBVS NATVS  
 ANTONIO LOBO ANTUNES  
 PSYCHIATER ATQVE BONVS SCRIPTOR LVSIANVS  
 VIVAT VIR OCTOGENARIVS

MMXXII

Am 1. September vor 80 Jahren  
 wurde der Psychiater und große Schriftsteller  
 ANTÓNIO LOBO ANTUNES geboren.

**Herzlichen Glückwunsch zum 80. Geburtstag!**



## Valentin Senger

\* 28. Dezember 1918 in Frankfurt am Main

† 4. September 1997 in Frankfurt am Main

Valentin Senger war ein deutscher Schriftsteller, Autor und Journalist russisch-jüdischer Herkunft. Sein 1978 veröffentlichtes Buch „Kaiserhofstraße 12“ (Neuausgabe 2010) wurde ein Bestseller.

[Valentin Senger: Kaiserhofstraße 12 – Schöffling & Co. Verlag \(schoeffling.de\)](http://schoeffling.de)



VALENTINVS SENGER  
 SCRIPTOR PRAESTANS  
 ANTE QVINQVE LVSTRA  
 PRIDIE NONAS SEPTEMBRES  
 FRANCOFVRTI VITA CESSIT  
 AETATIS LXXVIII

MMXXII

Am 4. September vor 25 Jahren starb in Frankfurt  
 der ausgezeichnete Schriftsteller

VALENTIN SENGER

**im Alter von 78 Jahren.**

## Jack Tworkov

\* 15. August 1900 in Biała Podlaska bei Lublin,  
Generalgouverement Warschau, Russisches Kaiserreich

† 4. September 1982 in Provincetown, Massachusetts

Jack Tworkov war ein US-amerikanischer Maler polnischer Abstammung. Er gehörte zu den bekannten Vertretern des *Abstrakten Expressionismus*.



JACK TWORKOV  
 PICTOR ILLUSTRIS  
 ARTIFEX INSIGNIS  
 OCTO LVSTRIS ANTE  
 DIE QVARTO SEPTEMBRIS  
 EX VITA EGRESSVS

MMXXII

Der berühmte Maler und ausgezeichnete Künstler  
**JACK TWORKOV starb am 4. September vor 40 Jahren.**

**HAEC CHRONOGRAMMATA  
ARTIFICIOSE CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER**

# CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

## Zum 20. August, dem Fest des heiligen Bernhard von Clairvaux:

2022\* praesIs MIhI, o fortIs sapIentIae et pIetatIs, Vt prosIs In terrIs, non Vt IMperes. – Stehe mir vor, o Starker an Weisheit und Frömmigkeit, um auf Erden zum Nutzen zu sein, nicht um zu herrschen. - Bernhard von Clairvaux, heiliger Abt und Kirchenlehrer, 1090 – 20.8.1153: de consid. 2,6

## Zum 22. August, dem Fest Maria Königin:



2022\* MarIa, VIrgo, Mater, regIna pIa VnIVersI nostrI.– Maria, Jungfrau, Mutter, fromme Königin unseres Alls.



Deichsler-Altar, Foto Hildegard Schuhmann

Maria Königin – nach der Regina Bavariae – Kopie in der Kapelle der Spiritaner in Cruzeiro do Sul  
 2022\* **M**ater **M**ar**I**a reg**I**na tot**I**vs **V**n**I**vers**I** oret pro tot**I**s nob**I**s. - Mutter Maria, die  
 Königin des gesamten Weltalls, möge für uns alle bitten.-



Michelangelo in der Capela Sistina: Bartholomäus -



Zum 24. August, dem **Fest des heiligen Apostels Bartholomäus:**

2022\* BarthoLoMaeVs NathaneL ai: IesVs rabbi, tV es filiVs DeI, tV es reX IsraeL – et IesVs eI: eCCe tV es Vere IsraeLIta, tibi InIqVItas non Inest – Bartholomäus Nathanael sagt: „Jesus, Meister, du bist der Sohn Gottes, du bist der König von Israel“. – Und Jesus zu ihm: „Seht, wirklich, du bist ein Israelit, in dir gibt es kein Falsch!“ - Jo 1,47; Mk 3,16 – *Das überraschende „vere Israelita“ steht so im Originaltext der zitierten Stelle!* Zum 27. August, dem **Fest der heiligen Monika:**

2022\* sanCta MonICa, fVisti In VerItate DVpLeX parens sanCti AVgVstInI atqVe fratrIs ALYpII - LaVs pia sIt tibi et paX! – Heilige Monika, du warst wirklich in doppelter Weise Mutter des heiligen Augustinus und des Bruder Alypius – Frommes Lob sei dir und Friede! – Heilige Monika, du warst in doppelter Weise Mutter des heiligen Augustinus und des Bruders Alypius – Lob sei dir und Friede! – Das Chronogramm spielt auf die Tatsache an, dass Monika durch ihre vielen Tränen ihren Sohn Augustinus zur Wiedergeburt in der Taufe und auf den Weg eines heiligen Bischofs geführt hat; dadurch wurde sie, wie Augustinus in seinen „Confessiones“ schreibt, zum zweiten Mal Mutter, was ihr selbst dann den ersehnten Seelenfrieden brachte. – Monika, 331 – 387 – *Diese Vorstellung der Wiedergeburt, auf die sich die der doppelten Mutterschaft des Chronogramms stützt, hat schon den Pharisäer Nikodemus befremdet (vgl. Joh 3,4)!*

Zum 28. August, dem **Fest des heiligen Augustinus:**



**Kirchenväteraltar (um 1480): Michael Pacher (1435-1498)** - Zirbelholz, 212 x 100 cm - Erworben 1812 als Säkularisationsgut aus Neustift bei Brixen - München, Pinakothek: Inv. Nr. 2597

2022\* AVgVstInVs sapIens et fortIs nobIs ai: VobIsCVM fIDElIs, pro VobIs eXIsto epIsCopVs In aVCtorItate nostrI IesV ChrIstI. - Augustinus, der Weise und

Starkmütige, sagt uns: Mit euch bin ich Gläubiger, für euch stehe ich da als Bischof in der Vollmacht unseres Jesu Christi.

2022\* AVgVstInVs egregIVs atqVe pIVs sapIentIae et fortIs epIsCopVs eCCLesIae HIpponensIs eXhortans aIt totIs nobIs pII: aMa fortIter et faC qVoD VI. - Augustinus, der herausragende, fromme, weise und starkmütige Bischof der Kirche von Hippo sagt mahnend allen uns Frommen: Liebe herzlich, und tue, was du willst. – Dieses „Liebe“ muss natürlich richtig verstanden werden – es meint nach 1 Kor 13,7 das Bemühen, nie etwas Unziemliches, sondern aus Liebe immer das Beste in Bezug auf Gott, den Nächsten und sich selbst tun zu wollen! –



Sandro Boticelli, 1480

2022\* eIa, eIa, VIDenteM ego Ipse VIDere sIne fIne Ibi In patrIa rIte opto. – Ja, wirklich, ich wünsche, in eigener Person den dort im Vaterland richtig ohne Ende zu sehen, der mich immer sieht. – Augustinus

2022\* MYsterIVM Ibi fInIs potentIae InIqVItatIs! – O, Geheimnis des dortigen Endes der Macht der Bosheit.

2022\* sententIa AVgVstInI sapIentIs: CreDo In CorpVs IhesV XrI qVoD est eCCLesIa Vna sanCta CathoLICa apostoLICa, opVs TrInItatIs totIVs In nostrIs terrIs



et In hIstorIa praesentI. – Ein Satz des weisen Augustinus <laudet>: Ich glaube an den Leib Jesu Christi; er ist die eine, heilige, katholische und apostolische Kirche, das Werk der gesamten Dreifaltigkeit auf unserer Erde und in der gegenwärtigen Geschichte.

2022\* sententIa AVgVstInI theoLogI sapIentIs et pII: feCIstI nos aD te et sIne reqVierIt Cor DoneC reqViesCat In te, DeVs qVI es fons VItae pVrItatIs et totIVs VerItatIs. – Ein Ausspruch des weisen und frommen Theologen Augustinus lautet: Du hast uns auf Dich hin geschaffen, und ohne Ruhe wird das Herz sein, bis es in dir ruht, o Gott, der du die Quelle des Lebens, der Reinheit und aller Wahrheit bist. – vgl. Augustinus, Confessiones XIII,1,1


2022\* taLIIs est qVIsqVe qVaLIIs eIVs DILeCtIo anIMI, alt nobIs totIs AVgVstInVs epIsCopVs, phILosophVs sapIentIae atqVe Ingens theoLogVs. – Ein jeder ist das, was seine Vorliebe in seiner Seele ist, sagt uns allen der Bischof, der weise Philosoph und außerordentliche Theologe Augustinus.

2022\* tangere CorDe, hoC est CreDere, DIXIt totIs nobIs AVgVstInVs phILosophVs atqVe theoLogVs LVX VerItatIs et pIaetatIs et sapIentIae. – Mit dem Herzen berühren, das heißt glauben, sagte uns allen Augustinus, der als Philosoph und Theologe ein Licht der Wahrheit, der Frömmigkeit und der Weisheit war.

Zum 28. August, dem **22. Sonntag im Jahreskreis, Lesejahr C:**

2022\* sItIs serVI fratrIs, est testaMentVM IesV nostrI regIs. – Seid Diener des Bruders, ist das Vermächtnis Jesu, unseres Königs. (Vgl. Mt 20,27) – warum nicht in der neulateinischen Variante, wo es heute nach dem Kommunistischen so viele andere Manifeste gibt: 2022\* sItIs serVI fratrIs, est ManIfestVM IesV regIs. – Seid Diener des Bruders ist der klare Wille Jesu des Königs. (vgl. Mt 20,27)?

## Zum 01. September:



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022\* septe**M**ber q**VI**a **I**b**I** habeb**I**t nob**Is** **IM**bres **V**ere freq**VENT**Io**res**. – September heißt er, weil es in ihm für uns wirklich häufigere Regenfälle gibt. – vgl. Durandus, Rationale 8,4,11 – möge es in diesem Jahre stimmen!!

## Zum 3. September, dem **Fest Gregors des Großen**:

2022\* Gregor**IV**s praefe**CT**Vs **V**rb**Is**, abbas, **De**Legat**V**s papa**LI**s, egreg**IV**s papa ser**V**Vs ser**V**or**VM** tot**IV**s orb**Is**, pastor bon**V**s, fort**Is**, pat**I**ens, **Ver**Vs et attent**V**s, **Cant**Vs fa**V**tor, s**Cr**Iptor atq**Ve** **Vo**X sap**I**ent**I**ae et re**I** p**I**etat**Is** orator **f**V**I**t. oret pro tot**Is** nob**Is** – Gregor (540-614) war Präfekt der Stadt <Rom>, Abt <des von ihm gegründeten Andreasklosters: 575>, päpstlicher Gesandter <in Konstantinopel: 579-585>, als herausragender Papst ein Knecht der Knechte <Christi – als erster benutzte Gregor diesen auf Mk 10,44 gründenden, von allen späteren Päpsten übernommenen Titel> auf dem ganzen Erdbreis, ein guter, machtvoller, geduldiger, echter und aufmerksamer Hirt, Förderer des Gesanges <Gregor gab dem Gregorianischen Gesang seinen Namen>, als Schriftsteller und eine Stimme der Weisheit <deshalb wird Gregor als einer der vier lateinischen Kirchenlehrer verehrt> und Redner der Frömmigkeit, er bitte für uns alle!



Der hl. Gregor mit drei Schreibern – karol. Elfenbein, 9. Jh – Wien Kunsthistorisches Museum –  
Foto: Hildegard Schuhmann

Zum 4. September, dem 5. Jahrestag der Heiligsprechung von **Mutter Teresa von Calcutta** in Rom, deren liturgisches Fest am 5. September gefeiert wird:


2022\* **M**ater Teresa **CaLCV**ttae ante **VI** annos **DeCL**arata san**C**ta, ora pro pa**V**per**Ib**Vs. – Mutter Teresa von Calcutta, vor vier Jahren bist Du feierlich als Heilige erklärt worden, bete für die Armen.

2022\* p**I**a et sap**I**ens et prae**CL**ara san**C**ta **M**ater Teresa **De CaLCV**tta orab**I**t pro tot**I**s pa**V**per**Ib**Vs orb**I**s nostr**I**. – Fromme, weise und hochberühmte heilige Mutter Teresa von Calcutta, wird für alle Armen unserer Welt betend eintreten.

2022\* Teresa Mater pIa paVperVM totIVs orbIs nostrI, orabIt pro totIs eIs. – Theresa, gütige Mutter der Armen unserer ganzen Welt, wird für sie alle betend eintreten!



Zum 8. September, dem Fest der Geburt der Muttergottes Maria:



Geldorp Gortzius: Maria Selbdritt (1605), ex coll. Herbert Douteil

2022\* eIa, MarIa VIrgo VIrgInVM, ora pro nobIs totIs! – Wohlan, Maria, Jungfrau der Jungfrauen, bitte für uns alle!

2022\* natIVItas saCra est hoDIe sanCtae VIrgInIs regaLI eX progenIe eXortae et praeCeLsae GenItrICIs IesV ChrIstI eX SpIrItV, CVIVs VIta InCLYta et pIetatIs

CVnctas ILLVstrat fortIter sIne fIne eCCLesIas totIVs hVIVs orbIs nostrI. – Heute ist die Gott geweihte Geburt der heiligen Jungfrau, die aus königlichem Geschlecht hervorgegangen ist, und der hocherhabenen Mutter Jesu Christi aus dem Geist; ihr berühmtes und frommes Leben erleuchtet mit Macht und dauerhaft alle Kirchen dieses unseres gesamten Erdkreises. – In Anlehnung an die beiden ersten Vesperantiphonen der alten Liturgie am Fest Mariae Geburt.

Zum 9. September, dem **Fest des heiligen Petrus Claver:**

2022\* PetrVs CLaVer soCIetatIs IesV VIXIt Cartagenae Ipse VoLVntarIVs et Liber et fortIs serVVs serVorVM. obIIt eXhaVstVs VIVa, fortI, InfInIta CarItate. a Leone papa sanCtVs ConsaCratVs est. – Petrus Claver von der Gesellschaft Jesu hat in Cartagena (Hafenstadt Kolumbiens, wohin die Sklavenschiffe aus Afrika kamen) freiwillig und ohne Zwang als tapferer Sklave der Sklaven gelebt. Er starb verzehrt von seiner tatkräftigen, starken und unbeschränkten Nächstenliebe. Heiliggesprochen von Papst Leo <XIII., der von ihm sagte, dass kein Heiliger nächst Christus ihn je so beeindruckt hätte; den Namen „Sklave der Sklaven“ hat sich der Heilige selbst gegeben und wurde bei seiner Heiligsprechung bestätigt> . – Petrus Claver SJ, 1580-1654

2022\* eIa, MarIa VIrgo VIrgInVM, ora pro nobIs totIs! – Wohlan, Maria, Jungfrau der Jungfrauen, bitte für uns alle!

2022\* natIVItas saCra est hoDIe sanCtae VIrgInIs regaLI eX progenIe eXortae et praeCeLsae GenItrICIs IesV ChrIstI eX SpIrItV, CVIVs VIta InCLYta et pIetatIs CVnctas ILLVstrat fortIter sIne fIne eCCLesIas totIVs hVIVs orbIs nostrI. – Heute ist die Gott geweihte Geburt der heiligen Jungfrau, die aus königlichem Geschlecht hervorgegangen ist, und der hocherhabenen Mutter Jesu Christi aus dem Geist; ihr berühmtes und frommes Leben erleuchtet mit Macht und dauerhaft alle Kirchen dieses unseres gesamten Erdkreises. – In Anlehnung an die beiden ersten Vesperantiphonen der alten Liturgie am Fest Mariae Geburt.

Zum 9. September, dem **Fest des heiligen Petrus Claver:**

2022\* PetrVs CLaVer soCIetatIs IesV VIXIt Cartagenae Ipse VoLVntarIVs et Liber et fortIs serVVs serVorVM. obIIt eXhaVstVs VIVa, fortI, InfInIta CarItate. a Leone papa sanCtVs ConsaCratVs est. – Petrus Claver von der Gesellschaft Jesu hat in Cartagena (Hafenstadt Kolumbiens, wohin die Sklavenschiffe aus Afrika kamen) freiwillig und ohne Zwang als tapferer Sklave der Sklaven gelebt. Er starb verzehrt

von seiner tatkräftigen, starken und unbeschränkten Nächstenliebe. Heiliggesprochen von Papst Leo <XIII., der von ihm sagte, dass kein Heiliger nächst Christus ihn je so beeindruckt hätte; den Namen „Sklave der Sklaven“ hat sich der Heilige selbst gegeben und wurde bei seiner Heiligsprechung bestätigt> . – Petrus Claver SJ, 1580-1654

**PIA HAEC CHRONOGRAMMATA**  
**CONFECIT**  
**PATER HERBERTUS DOUTEIL**  
**BRASILIENSIS**





## ECHUS VOCES ET EPISTULAE

### PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

d.15. m.Aug. 08.38h

**Paulus Nicolao s.d.**

Nullum conceptum ad me venit cum legi "pandyselectria". Quaesivi parumper in lexicone Graeco nec ullam rem inveni. Memento verborum sensum praesertim pendet a contextu ubi inseritur. Verbum segregatum non facile sensum suum ostendit. Doleo sed non intellexi. Vale.

d.22 m.Aug. 04.24h

**Paulus Nicolao s.d.**

In Lexicone Hispanico-Latino a Patre Josephus J. Del Col inveni "Blackout = fluoris electrici abruptio". Sunt quidem tria verba, tu autem uno verbo confecisti conceptum (pandyselectria), quod ego non statim intellexi. In conficiendis novis verbis auxilium nobis est contextu ubi novum verbum inseritur. Mihi paragraphum si misisses forsitan intellexissem. Vale Semper.

d.23 m.Aug. 02.50h

**Paulus Nicolao s.d.**

Legi quadraginta paginas de mentulae etymologia et inveni opus vestigatorium completissimum, ubi includuntur alia verba eiusdem sensus ac mentula, quas nesciebam vel fascinus, mugium et cetera; haec verba linguae vivae et vulgaris nobis praebent exempla; denique puto mentula a mento evenire vel potius a mentone, quod verbum invenitur in quodam Arnobio (saec. IV vel V): mento (-onis) dicitur de viro cui mentum est productum. Mox tibi mittam aliquas paginas, quas possis edere in Epistula Leonina, sed de re valde dissimili ac mentula. Vale.

d.12. m.Sept. a.2022 h.15:42

**Paulus Nicolao s.d.**

Scripsi symbolam de Deo rebusque antiquis et hodiernis, quam tibi mox mittam eo consilio ut legas et de mendis, quae invenias, me certiolem facias ut ipse corrigam. Jam exspectamus EL 266.  
Cura ut valeas.

d.14. m.Sept. a.2022 h.01:23

**Paulus Nicolao s.d.**

Mitto symbolam promissam. Lege et, ut dixeram, de mendis, quae invenias, me certiolem facias ut ipse corrigam. Vale semper.



d.12. m.Sept. a.2022 h.14.50

**Nicolaus Paulo s.**

Gratias plurimas, pro symbolae promissione. Quam vehementer lecturio. Gaudeo quod lecturire te dicis Epistulam Leoninam novissimam. Paululum exspecta, mox edam. Vale semper, medullitus te saluto, Nicolaus Leo Latinus

d.14. m.Sept. a.2022 h.01:23

**Paulus Nicolao s.d.**

Mitto symbolam promissam. Lege et, ut dixeram, de mendis, quae invenias, me certiolem facias ut ipse corrigam. Vale semper.

d.15 m.Sept. a.2022 h.08.54

**Nicolaus Paulo s.**

Gratias plurimas, care Paule, pro tractatu tuo theologico. Elegisti materiam sane difficilem. Exspecta paulisper, usque dum perlegam, et vale semper pancratice. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

d.18 m.Sept. a.2022 h.15.23

**Paulus Nicolao s.d.**

Iterum legi symbolam et correctiones aliquas feci. Nunc tuas exspecto (quoad sit tibi tempus). Cura ut valeas.

d.24 m.Sept. a.2022 h.10.57

**Paulus Nicolao s.d.**

Nunc tibi mitto correctissimam quam potui symbolam de Deo Rebusque Antiquis et Hodiernis. Nescio an correctiones putes faciendas; quas faciendas putes, mitte mihi ut inseram. Vale semper.

d.07. m.Oct. a.2022 h.15.21

**Paulus Nicolao.s**

Miror quod tam diu nec Epistulam Leolatinam nec litteras de symbola mea accepi. Quid? Putasne mihi esse quaerendum alium locum ubi edam? Denuo valeo, iam domi sum. Quid censeas fac me quaeso certiolem et vale semper.

d.08. m.Oct. a.2022 h.00.52

**Nicolaus Paulo suo sollicito sal.pl.**

Habeas me, care Paule, excusatum, quod ex longiore iam tempore nihil publicavi, quia sum lexico meo copiosissimo componendo deditissimus. Paululum etiam habeas patientiae, mox accipies Epistulam 266, cui symbolam tuam includam. Utinam cor tuum optime reconvalescat, ne umquam desinat palpitare pro Latinitate! Vale semper, medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

d.29. m.Oct a.2022 h.20:30

Intra quot annos, Nicolae, dictionarium tuum perficies? Interea edere posses Epistulam Leonatinam. Cura ut valeas, et has litteras lege non sine bono animo et hilaritate.

d.30. m.Oct a.2022 h.20:30

**Nicolaus Paulo Latinissimo sal.pl.dic.**

Amice carissime, iuste meritoque me mones, ut tandem edam symbolam tuam. Cras tandem perlegam et tibi scribam, num et quae verba mihi aliquatenus mutanda esse videantur. Ignoscas, quod tam sero tibi scribo. Sed revera immersus sum ducentis quadraginta milibus vocabulorum, quorum quadraginta milia sunt Latina. Insunt etiam non pauca Hispanica. Licetne te omni qua par est rogare, ut eadem perlegas et corrigas quoquo loco tibi displiceant? Si licuerit, tibi mittam nonnulla exempla Hispanica. Quid sentis? Quomodocumque responderis, cras perlegam tuam symbolam theologicam et tibi rescribam. Vale pancratice, o Paule Latinissime! Utinam cor tuum circumfluatur sanguine oxygenii plenissimo! Utinam tu myocardiumque tuum vivant crescant floreant!!! Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus. P.S. Addam ligamen (link) textus de pseudopandemia scripti. Quid tibi de eodem videtur? Scribas mihi, quaeso.

d.31. m.Oct. a.2022 h.19:37

**Nicolaus Paulo sal.pl.**

Care Paule, gratias plurimas pro verbis tuis curae et diligentiae plenis. Modo perlego tractatum tuum theologicum. Laudo tuam constantiam atque fortitudinem, quibus defendis doctrinam fidei christianae traditam, ista in tempestate rerum turbulenta, qua multi sacerdotes iam pridem a nucleo christianitatis aberrantes **blaterant de genderismo atque transhumanismo deque sexu et familia abolendis**. Tu autem, care amice, tamquam saxum quod circumsaevitur a maris fluctibus, tu ne cede malis, sed contra audentior ito ! Vale semper pancratice, mox tibi mittam symbolam tuam nonnullis mutationum propositiunculis instructam. Nicolaus Leo Latinus.

d.31. m.Oct. a.2022 h.20:22

**Care Paule,**

gratulor tibi de opusculo summâ cum constantiâ et fidelitate conscripto. Macte virtute esto: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito! Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus. - P.S. Mutatiunculas a me propositas textui tuo inserui litteris rubris. NLL

**Nicolaus Paulo suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Care Paule, accepistine symbolam tuam notulis meis instructam? Vale semper, N.

d.03.m.Nov. a.2022 h.15:07

Equidem, Nicolae, accepi; at nunc ego sum districtus rebus familiaribus; quam primum tibi respondebo. Vale semper.

d. 3 m.Nov. a.2022 h.16:49

Bene, utinam omnia tibi bene eveniant! N.

d.5. m.Nov. a.2022 h.13:20

**Paulus Nicolao s.d.**

Primo visu correctiones tuas omnes approbandas puto; tamen singulas considerabo et quam primum textum correctum ad te mittam. Tibi gratias ago quod accurate legisti et correxisti. Vale semper.

d.07. m.Nov. a.2022 h.02:42

**Paulus Nicolao salutem plurimam dicit.**

Accepi correctiones tuas fere omnes; his exceptis:

-Paraphus III.- 5.- Instinctus feris bestiis et ceteris animalibus ad generationem sufficit; quoniam humano intellectu carent, non egent vehementi voluptate; eis satis est appetitus; mares receptivas(???) feminas parumper sollicitant, postea cibum cottidianum quaerunt.

Feminae receptivae sunt eae quae aptae et temperi cum mare se possunt coungere.

mares feminas, quae in venerem perveniant, parumper sollicitant, postea cibum cottidianum quaerunt. „In venerem venire“ sunt verba Horatiana.

-VI.- 2.- Antiquitus erant servi, qui abusus omnes patiebantur; servi autem abhinc saeculis fere duobus in nationibus civilizatis(eruditus, cultioribus) esse desierunt;

Adiectivus civilizatus- a -um servavi, quia apparet in Diccionario Auxiliar Latino Español a Patre J.J. Del Col composito, 2007, Bahía Blanca, Argentina.

-XIV.- 2. discipuli vero christiana[m] c[h]aritate[m] sunt docendi(imbuendi, instituendi);

Verbum causativum docendi voce activa poscit duos accusativos: et personae et rei.

In voce pasiva accusativus personae fit subiectum, sed accusativus rei manet immutabilis.

Sic Cicero (In Verr. I, 15) usus est verbo causativo rogandi:

„Neque hoc Q. Catulum, hominem sapientissimum atque amplissimum, fugit, **qui** (Cn. Pompeio, viro fortissimo et clarissimo, de tribunicia potestate referente), **cum esset sententiam rogatus**, hoc initio est summa cum auctoritate usus.“

Praeterea: Introducción a la Sintaxis Estructural del Latín a Lisardo Rubio composita, (1966, Barcelona, Ariel) Tomo I, pag. 127: „pueri docentur grammaticam“.

Haec constructio est quidem rara, sed pertinet ad linguam Latinam.

Tamen in IX.- 1. opinionem tuam servavi:

IX.- 1. ~~populus doctrinam essentialiter atque enucleate expositam doceatur.~~ (imbuatur doctrinâ essentialiter atque enucleatê expositâ).

-Ludibrium est peccatum grave adversus c[h]aritatem,

Charitas pendet a verbo Graeco charitate (x=ch). Sed tamen etiam vidi in lexiconibus caritatem sine digrapho „ch“.

Denique non potui gratias tibi non agere, quamvis modeste:

1.- Haec scripta sunt sermone Latino castigatissimo[1], eo consilio ut magistri discipulis, altiore gradu, possent exercitandi meditandique causa proponere; utinam Ecclesia ne aliter censeat.

Textus Hispanicus, quam misisti; mox legam et tibi meam sententiam ostendam.

Vale semper.

d. 7 m.Nov. a.2022 h.19:14

**Nicolaus Paulo s.**

Gratias plurimas tibi ago, quod mihi locos symbolae tuae explicasti.

(1) Verbum \*civilizandi est neologismus parum decore confictus, quia est hybridicus (ex lat. "civilis" et graec. -izare, -o). Sunt etiam classica aetate quaedam formae hybridicae, sed valde raro; rara exempla minus digna sunt imitatione.

Ceterum actio ipsa, quae hoc verbo significatur, minime est nova. Res et notio ipsa iam Romanis fuit notissima. Estne necessarium verbum novum plassare, ut significemus rem Romanis iam notissimam?

Novi hunc neologismum inveniri in Lexico DeColiano; cuius auctor habet nonnulla utilia, sed etiam nonnulla parum apta. Haec sentio de usu huius neologismi; sed si retinere vis - concedo tibi, non resistam.

(2) Accusativus Graecus, quo usus es, certe quibusdam locis classicis invenitur, sed potius apud poetas et seriores. Nam non est genuine Latinus, sed Graecus. Ceterum fieri potest, ut quidam lectores eundem usum accusativi falso intellegant. Nos volumus potius Latinizare quam graecizare. Sed etiam in hac re concedo tibi libertatem. Habeas tibi, care Paule. Nil obstat. Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutatur

**Nicolaus Leo Latinus**

d.14. m.Nov. a.2022 h.01:53

**Paulus Nicolao s.d.**

Textus Hispanicus recte scriptum est; haec tamen, quae linea notavi, examinanda iudicavi: *“Los arrestos domiciliarios masivos (encierros) y otras medidas, como el uso de máscaras faciales, se utilizaron para aumentar el riesgo de infección, reducir los amplios niveles de inmunidad de la población y dar la falsa impresión de una extraordinaria amenaza para la salud pública”*. Non intellego quomodo custodiae domesticae amplae (inclusiones) et alia vel oris tegimina possint usurpari ut contagionis periculum augeatur; e contra puto id factum esse ut deminueretur. Syntaxis non fallit, sed sensus. *“Los activos se definen en términos de sus métricas de capitalismo de partes interesadas (accionistas o tenedores de apuestas), que califican las inversiones según su puntaje ambiental, social y de gobernanza (ESG)”*. Non degobernanza. *“El sistema global de bancos centrales, encabezado por el BPI, está “yendo directo” a financiar directamente la política gubernamental”*. Adverbium “directamente” simile est ac “yendo directo”. Est igitur pleonasticum. *“El desempleo masivo que se producirá como resultado de la austeridad, causado tanto por los asombrosos niveles de deuda...”* Non losasombrosos

Nicolae: Attractivam et quasi incredibilem symbolam iudicavi. Sed ea quae ibi nuntiantur, vere acciderunt aut accident? Omnimodis lectu digna est. Scire velim an possim cum amico valde critico compartiri (nempe Hispanice). Cura ut valeas.

d.19. m.Nov. a.2022 h.14.43

**Paulus Nicolao s.d.**

Puto textum iam edi posse nam correctiones abs te factas fere omnes approbavi; quas ego sustinui ipse servandas dixisti. Quacumque causa si edere nequis, fac me quaeso certiolem eo consilio ut Gaium Licoppe rogem an in Melissa possit in lucem dari. Cura ut optime valeas.

## **NAEVIUS SARTORIUS**

d.17.m.Aug.2022 h.19:55

**Naevio suo s.**

Intolerabile!!! Quis hoc potest videre, quid hoc potest pati! Ista gubernatio tyrannica tam male cives suos curat, ut timendum sit ne hieme sitiamus, esuriamus, frigeamus; nil recte, nil bene perficere scit, nullos ministros habet nisi baburros baburrasque stultissimas; nationem nostram ex divitissima et eruditissima facit egenam et pauperem et stolidam, cerebra parvulorum veneno ideologiae imbuunt, oeconomiam nostram destruit, nos ad servitutem redigit - sed virum criticum scelera gubernationis patefacientem in Philippinis comprehensum et in Germaniam abductum ut fraudulenter accusatum et damnatum in carcerem coniciant - hoc scit efficere. O tempora o mores! Quo usque tandem iste furor nos eludet? NLL.

d.17.m.Aug.2022 h.20:12

**Naevis Nicolao s.**

Iterum iterumque de emigratione cogito ... sed multas difficultates (oeconomicas) aspicio. Valde spero tempora horribilia prasinis mox confectura esse. N.

d.22. m.Aug.a.2022 h.13:58

**Nicolaus Naevio sal.pl.**

Quid fit, quid agitur, care amice? Quomodo dies septimanae finales degisti? Esne in silvas abditus venatus cervos leporesque an cum uxore filioque per campos migrasti? Si vacabis, legas, quaeso, commercium epistoliorum, quod habeo cum Andrea Pizzotti redactore Ephemeridis periodici interretialis Latini, cui miseram symbolam quandam Latine redditam (Inspice appendicem: "DEDITIO BEROLINENSIS"), ut publicaret. Occasiuncula capta scribas mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper et frui septimanae delectamentis, tu ne cede malis sed contra audentior ito! Medullitus te salutatur Nicolaus.

d.22. m.Aug. a.2022 h.14:47:

**Naevius Nicolao sal. pl. dicit,**

care Nicolae, respondebo tibi serius. Domi sum, corrigens clausuras studentium. Multi eorum etiam Theodisce non iam recte scribere possunt... De libertate sententiae dicendae et eius destructione serius. Haec raptim, mox plura. Vale semper Naevius

PS Iam tibi commendavi, denuo commendo: Optime dixerunt!

<https://www.youtube.com/watch?v=cNc5wKXKYtg>

d.23. m.Aug. a.2022 h.18:47:

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, duos notos modos destructionis dialogi politici habemus.

*Primum est censura.* Potentes tacent et opprimunt facta sibi non iucunda periculosaque. *Secundum* audeo appellare *denegationem dialogi*: Assectatores eius dicunt rectum esse non loqui cum in rebus politicis dissentibus. Exemplum horribilissimum prasinus *Andreas Audretsch* dedit: <https://www.youtube.com/watch?v=DRqE8Y2XfEk> - Iste arroganter non respondit collegae Alternativorum, qui – mea opinione – proposuit quaestionem solum ad rem politicam pertinentem. Iste Audretsch – coram publico – audebat etiam contendere se non respondentem *defensorem* democratiae esse! Mihi oppositum verum et rectum esse videtur: Hoc superbissimo modo enim colloquium necessarium de re destruxit. Tale colloquium inter er erga omnes factiones, etiam si maxime dissentiunt de re disputanda, condicio sine qua non (scil. democratiae) est. Audretsch ergo se maxime indemocratice gessit et laesit mores democraticos. - Nunc aspiciamus, ut audeo dicere, formam novam, formam tertiam destructionis dialogi (politici): destructionem vel denegationem *pro decore*. Ut scis, etiam diligo formam politam, texta summa arte scripta, orationes elegantissime compositas et habitas – sed bene scio hos aspectus imprimis spectare ad formam, non ad materiam. Iam saepe multa verba elegantissima – verba saltem elegantissime et eruditissime *sonantia* – facta sunt, sed verba omnino carentia gravitate. Multi homines verbis talis pseudoeloquentiae faciliter decipi possunt (etiam volunt?). In eis forma praelucet materiam. Sapientis est distinguere posse. „Tam elegantissime dixit!“, lectorem vel spectatorem verbis blandis inflammatum dicere audit; respondebit: „Certe, sed non recte dixit!“ - Etiam non diligo homines humanitatem politam contemnentes; non iucundum est disputare cum eis; sed etiam video nimis facile esse homines per causam „decoris“ omnino excludere a colloquiis. Liquet hoc malum esse. Mihi censura quaedam esse videtur, censura *pro decore*. Vale semper Naevius

d.24. m.Aug. h. 11:09

**Nicolaus Naevio s.**

Vehementer verum dixisti, care Naevi. Gratias plurimas pro verbis subtilibus, quibus pseudoeloquentiam explicasti decoris plenam, veris argumentis carentem. In mentem mihi veniunt verba Goetheana, q.s.: "*Sei doch höflich!*" - *Höflich zu dem Pack? Mit*



*Seide näht man keinen groben Sack!"* - Mittam Andreae hanc epistulam tui. Sed idem nondum respondit epistulae meae nuper missae. Ioannes Carolus, qui familiam illius iam diu novit, mihi scripsit Pizzottianos barbariem Silvii Berlusconi eiusque asseclarum passos valde sensibiles esse erga omne verbum increpatorium in rixis politicis et socialibus adhibitum. Videtur esse gens sinistrae partis credens omne malum venire e parte dextra. NLL

d.25. m.Aug. a.2022 h.13:39

**Nicolaus Naevio s.**

Hoc est in votis istorum: Nisi nos totam libertatem furati essent fictionibus pandemiae bellique de libertate gerendi praetexendis, se nos tandem servos facturos esse fictione calamitatis climaticae. Quo usque tandem hominum maior pars istis fictionibus fraudabitur? NLL

d.25. m.Aug. a.2022 h.17:02

**Naevius Nicolao s.**

Tellkamp putat rem publicam et institutiones eius mox gravitatem amittere, cives instituere er instituturos esse ceteros apparatus. Eis verba - imprimis ad exitium DDR spectantia - mihi quandam spem afferrunt. Sed etiam arbitror rem publicam amittere gravitatem, quia potestas paulatim (et clandestine) ad societates mercatorias et ceteras institutiones [NGO] multinationales transit.

d.25. m.Aug. a.2022 h.19:38

**Nicolaus Naevio s.**

Utinam *Tellkamp* recte iudicet! Tempus fugit, autumnus nobis afferet novas libertatis deminutiones. Sed nunc etiam plures excitantur quam in pandemia putativa: frigoribus et pretiorum augmentis multi addiscent adhuc superstitione prasina obsessi. NLL

d.30. m.Aug. a.2022 h.10:21

**Naevio s.**

SELENSKIUS NIHIL EST NISI NEUROSPASTON GLOBALISTARUM. PERICULOSUM ET TEMERARIUM EST ISTUM SEQUI. SAHRA UT SOLET SAPIENTER DIXIT. SED QUID PROSUNT VERBA SAPIENTIUM SI REGUNT MORIONES? N.

d.30. m.Aug. a.2022 h.15.13

**Naevius Nicolao s.**

Recte, amice, quid prosunt verba sapientissima si regunt prasini et factiones quae fovent ideologiam prasinam. verbum Graecum "neurospaston" adhuc non sciebam, sed statim intellexi. Estne etiam verbum Latinum specificum? "Pupulus" mihi solum verbum generale (Gattungsbegriff) esse videtur. Gratias tibi agit et medullitus te salutatur N

d.04. m.Sept. a.2022 h.11:02

**Nicolaus Naevio s.**

INIUSTISSIMUM FUIT ISTI BACCIBALLO STULTISSIMO TANTUM  
POTESTATIS ATTRIBUERE. TALIBUS MONSTRIS PRASINIS GERMANIA  
E DEMOCRATIA FACTA EST MOROCRATIA. N.

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, ut bene scis, Ricarda crassissima est praeses prasinorum. Factio prasina eligere potest eum qui aptus esse videtur. Etiam si Ricarda nobis et ceteris civibus non placet, electio eius legitima ("legal") fuit. Quod attinet ad munus eius parlamentarium - haec electio etiam legitima ("legal") fuit. Sane necesse de iure suffragii nostro dubitare ... et de refomatione eius deliberare. Semper periculum est ne democratia in morocratiam convertatur... Cura ut valeas Medullitus VN

d.04. m.Sept.2022 h.19:49

**Nicolaus Naevio suo s.**

Quid tibi videtur, care Naevi? Quare gubernatio nostra energiam dispensat et administrat ratione tam fataliter nociva??? Quare adversus penuriam energiae horrendam etiam claudere vult ultimas electrificinas nucleares adhuc operantes??? Erratne effectu stultitiae et ignorantiae crassae an consulto studet Germaniae interitum parare??? Quid tu sentis??? N.

d.04. m.Sept. a.2022 h.21:45

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, causam certam nescio, sed audeo dicere causam psychologiam esse - positam in anima prasina. Electrificinae nucleares prasinis semper videbantur malum supremum esse. Nonnullos annos ante prasini et assectatores eorum denique pevenierunt ad finem ideologicam diu expectatam. Politicis placuit in re publica nostra vim atomicam finire. Nunc multi homines politicique reliquium rationis habentes hanc finem, hanc ideam in dubio ponunt. Clarissimum est cur faciant: Mox pandyselectria instabit. - Sed vero non difficile est reactionem prasinorum providere, qui semper ideologia summa commoti erant et - mea opinione - adhuc sunt: Nolunt videre hoc problema, sed utique volunt pergere quod coeperunt. Itaque reactio eorum summae ferociae et contumaciae est. Reagunt ut liberi parvi, quibus parentes oblectamenta demunt: Nolunt omittere illam finem ideologicam semper petitam et desideratam. Itaque ferociter clamant: "Claudeantur electrificinae nucleares, et pereat Germania". Ut *Sarrazin* in libro suo novissimo recte dixit: In hac causa ideologia superat rationem. - Vale semper **Naevius**

d.04. m.Sept.2022 h.21:52

**Nicolaus Naevio suo sal.pl.**

Gratias plurimas, care amice, quod abyssos animae prasinae tam subtiliter illustrasti. Mihi quidem videris profecto rem acu tetigisse. Itaque epistolium tuum, si permiseris, libentissime divulgabo in proxima Epistula Leonina. Vale semper, NLL

d.07. m.Sept. a.2022 h.12:17

**Nicolaus Naevio suo s.**

RUMORES SUNT VEHEMENTER VARIII - INTERRETE SCATET ISTIS ET MULTA SUNT PARUM DIGNA RESPECTU. TAMEN UBI FUMUS IBI ETIAM IGNIS EST. UNDE VENIUNT TALES RUMORES? QUONAM MODO EXPLICATUR IMMANUELIS IMMERTATORIS GERONTOPHILIA? PROFACTO CURIS VEXAMUR MAIORIBUS, QUAM UT TALES QUISQUILIAS SUBTILIUS PERQUIRAMUS. TAMEN EA QUAE ALTWEGG SCRIBIT DE NOVIS GUBERNATIONIS LEGIBUS MIHI POTIUS VIDENTUR ESSE SYMPTOMATA INSANIAE QUAM MENTIS ILLUMINATAE. N.

d.07. m.Sept. a.2022 h.12:50

**Naevius Nicolao s.**

Recte, curis maioribus vexamur. "Zeitgeist" noster mihi etiam insanus esse videtur. Aliciam audiam, symbolam Oscarii legam serius. N.

d.11. m.Sept. a.2022 h.13:14

**Nicolaus Naevio s.**

Care Naevi, nonne iam animadvertisti in hac emissionem moderatorem saepe interrogare, nonne verisimile esse gubernationem pessime regere, sed ipsam non regi voluntate propria, sed a potestate supranationali? Hodie ipsum Forum Oeconomiae Mundanum Davosiensem memoravit. Nonne etiam animadvertisti interrogatos statim conari demonstrare non esse necessarium rem politicam gubernationis malam explicare potestate supranationali? Mihi videntur timere ne dicantur theoretici conspiracy. Itaque "Kontrafunk" non tantum progreditur quantum "Compact" et "Auf1" et "PInews". Quid tu sentis? NNL.

d.11. m.Sept. a.2022 h.15:05

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, quaestio difficilis, amice. Explanatio simplex esse potest: Fortasse non putant talem institutionem supranationalem vel mundanam clandestinam esse. Scis etiam me dubitare. Non nego talibus hominibus, qui „globalisti“ dicuntur, quandam potestatem esse, sed dubito an possibile sit mundum omnem apparatu clandestino regere. - Iam saepe has res disputabamus. Scis me arbitrari "deep state" et "Marionette" verba solum descriptiva esse, sed vix apta esse ad analysim/im profundam. Quomodo novi reges mundani clandestine regunt „neurospasta“ sua? Hi,

quos soles dicere „neurospasta“, sunt homines, non machinae tele-rectae (neologismus graeco-latinus parvus placetne, magister?).

Immo vero puto globalistos eligere policticos certos, qui eis apti videntur „idiotai utiles“ esse (eos nominant „young leaders“). Exemplum dabo: Si globalistis fines rei publicae (“Staatsgrenzen”) non placent, quia eis fines impedimenta mercatus totius („totalen Marktes“) esse videntur, eligunt tales politicos, qui ob ideologiam simplicem et universalem (= prasinam: „omnes homines aequi sunt“ etc.) etiam sequuntur abolitionem finium rei publicae (ceterum, ni fallor, Forum Oeconomiae Mundanum revera invitavit Annalenam B.). Sed causa vera scilicet omnino alia est: Cum grano salis prasini putant se mundum climaque servare, sed globalistis placet mercatum totum instituere. Itaque praefero dicere eos politicos nescientes quibus realiter serviant non "neurospasta", sed „idiotai utiles“. Vale semper **Naevius**

d.11. m.Sept. a.2022 h.17:06

**Nicolaus Naevio s.**

Nova dictatura coronaria - Unicus finis: evitatio manifestationum et turbarum et seditio populii. Tu quidem, bone Naevi, sentis normas novas esse mites et modicas. Sed sub praetextu incidentiarum exauctarum tyrannis semper sibi adrogabunt nova adhibere remedia coacticia. Qui obloqui vult et reclamare, cogitur ut camum gerat, ne vox eius nimis clare audiatur. Sic sub praetextu valetudinis tuendae libertas civium destruitur. O dulce nomen libertatis ! (CICERO) N.

d.11. m.Sept. a.2022 h.17:46

**Naevius Nicolao s.**

Exspectemus consilia et actiones gubernationis hieme.

Si dicis omnia haec "dictaturam", amice, quid tum dices de - comprehensionibus illegalibus - caede politica – deportationibus - expropriatione civium (quae nunc iam diu fit inflatione maxima - 10 Prozent!) - custodia civium electronica (sophophonis facta)? - censura - systema Sinense (Sozialkredit) - litibus criminalibus "spectaculi" (Schauprozesse)? - vectigalibus maximis (habemus eas in Germania iam diu) - transitione potestatis politicae ad institutiones supranationales etc.? - Super-dictatura? Scis me normas novas coronarias non diligere, sed dubito an aequum sit eas manifestationem "dicturae" dicere. Ceterum, res publica et gubernatio habet instrumenta legalia, quae longe peiora sunt: ea sensim imponuntur civibus. Dicerem ea "Smart Dictatorship". N.

d.17. m.Sept. a.2022 h.15:00

**NICOLAUS LEO LATINUS NAEVIO SARTORIO SUO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Gratias ingentes, care Naevi, tibi ago, quod mihi causas explanasti iuridicis cum argutiis subtilissimis. Scilicet me de casu Neubaueriano non locutum esse sobria ratione, sed iocatum quodam cum sale nigro. Ista enim in tempestate rerum tumultuosissima interdum nulla tela nobis restant nisi ironia et sarcasmus... Quod

attinet ad tria illa verba increpatoria theodisca, quae affers exempla appellationum poena dignarum, in memoriam mihi incidit tempore militiae meae foederalis (1973-75) appellationem q.e. "Cunne vetule" minime habitam esse pro laesione maiestatis, sed fuisse expressionem comitatis et benevolentiae. Subium (barbula labri superioris) ibidem solebat nuncupari "cunus facialis". Quid dicam de nomine pedicatoris, quod affers ut contumeliosum? Ipso hoc tempore, ubi cinaedi non desinunt a diurnariis hymnice celebrari? Nonne predicatio a sexologis interim solet commendari etiam paucis illis viris, qui adhuc cupiant coitum cum feminis exercere, ne vita eorum venerea pauperescat limitibus vaginae sensualibus coartata? Tertio loco quid dicam de appellatione q.e. "Stulta Porca", qua tu sentis honorem hominis detrahi? Nonne scis in nostra societate haud raro bestias maioris aestimari quam homines? Nonne iam ipse expertus es homines canem cattumve, immo varanum araneamve aviculariam sui amatissimam deificare, infantulos vicini vagientes daemonizare? Patet ergo verba ista increpatoria quae affers habere ad coaequales nostros effectum parum validum. - Laesiones animi multo efficaciores mihi videntur esse tales appellationes quales sunt "Nacista!", "Extremista Dexterrime!", "Denegator Coronae!", "Denegator Climatis!", "Russe!", "Intellector Putini!", et similes. - Denique quaeris, num liceat Latine dicere "salire ad conclusiones". Non certo scio me intellegere quid sentias his verbis. - Quaerisne locutionem Latinam quae significat id quod theodisce dicitur "voreilige Schlüsse ziehen"? Hoc est Latine: "*praepropere concludere*". - Haec hactenus. Utinam dies septimanae finales degas iucunde atque tranquille. - Medullitus te salutat  
NICOLAUS LEO LATINUS

d.17. m.Sept. a.2022 h.15:53

**Naevius Nicolao s.**

Care amice, gratias magnas etiam tibi ago. Scilicet intellexi te de LUISA NOSTRA CLARA ironice locutum esse... Revera theodisce dicimus "voreilige Schlüsse ziehen"; Britanni dicunt "*to jump to conclusions*"; nunc - te adiuvante - scio locutionem rectam Latinam. In appendice invenies symbolam parvam de "Schmähkritik". Ut vides, etiam ea res difficilis est: "Ob es sich bei einer **Äußerung** tatsächlich um **Schmähkritik** handelt, muss im konkreten Fall oftmals vor Gericht abgewogen werden." Vale semper Naevius

d. 21. m.Sept. a.2022 h.18:44

**Nicolaus Naevio s.**

JULIANUS REICHEL T QUONDAM SPECULARIUS ET MARTIN LICHTMESZIANUS COLUMNISTA DEXTERRIMUS DE REGINA BRITANNIAE MODO QUAE MODO ANIMAM EFFLAVISSE DICITUR DE EIUSDEM MERITIS AUT ERRORIBUS VEHEMENTER VARIE IUDICANT - QUOMODO TU IUDICAS, NAEVI SARTORI???

**Vale, N.**

d.21. m.Sept. a.2022 h.20:24

**Naeuius Nicolao s.**

Care Nicolae, ni fallor, bene scis me amare Angliam, culturam Britannicorum. Admirabar etiam Reginam Elisabetham II. Maxima disciplina, sine ullo flagitio („Skandal“) LXX annos regebat. Auditu dignae sunt haec orationes Boris Johnson et Theresa May: <https://www.youtube.com/watch?v=7crC4ukwGVw>

Etiam rex novus habuit orationem bonam multos homines et me moventem. Saepe Carolus III animi immoti esse („kühl“) videbatur, sed nunc video filium sincere lūgere pro matre sua: <https://www.youtube.com/watch?v=VKU2Uz3O--0>

Finem epistolii mei verbis Theresa May de regina Elisabetha II ditificare volo. Quae dixit: „Requiescat in pace et resurgat in gloria! – May she rest in peace and rise in glory!“ - Optime dixit. Vale semper N.

PS Quod attinet ad qualitatem orationis habendae hic videre potes contrarium: <https://www.youtube.com/watch?v=uSq5VptjTfQ>

d.22. m.Sept. a.2022 h.23:06

**Nicolaus Naevio s.**

SAHRA - UT SEMPER - SENTENTIAM SUAM DEFENDIT SPLENDIDISSIME !!! Incredibile quam unilateraliter loquatur Lanzius, quam balbule Wolkowius, quam stulte Münstermannia (quae potius "bärboculissat" quam argumentatur)! Ex toto colloquio clare apparet Sahram et facundia, scientia necnon acumine mentis ceteros longe superare. Quid tibi videtur? NLL

d.23. m.Sept. a.2022 h.09:37

**Naeuius Nicolao s.**

Sahra revera femina prudentissima est. Eloquentia acumenque eius mihi valde placent. Lanzius horribilis dixit: "Tu, Sahra, es victima propagandae Russiae". Stultissimus!

d.02. m.Oc..2022 h.19:06

<https://www.youtube.com/watch?v=UUcrm0SGtIE>

**Nicolaus Naevio suo s.**

Sua repulsione energiae nuclearis et infami sua diffamatione Alternativorum Vinfridus Vaniloquus se praestat Prasinum Khmerum; istum socialistam palaeolithicum persona viri frugalis naturam pacemque magni aestimantis indutum scias esse hypocritam periculosissimum! Noli oblivisci istum aetate iuvenili fuisse maoistam fanaticum; senilitate reductus est ad furorem iuventutis. **Vale, NLL.**



d.02. m.Oc..2022 h.21:25

**Naevius Nicolao s.**

Hanc scaenam, haec verba Vinfridi Vaniloqui iam scio. Scis me de hac re tecum omnino consentire. Iste Vinfridus "Biedermann" esse videtur, revera is est dogmatistes prasinus, obstinatissimus ut infans. **Vale, N.**

d.05.m.Oct.2022 h.16:55

**Nicolaus Naevio s.**

Gratias plurimas pro commendatione libri. Quid sentis de oratione Ursina Gerae habita? Mira dixit! Ursus praefert orientem occidenti! Alsatianus dixit se horripilasse hanc orationem audientem. **Vale, NLL**

**Naevius Nicolao s.**

Quod attinet ad orationem Ursinam Gerae habitam, iam scripsi: Oratio bona, analysis bona. *"Wir werden von einer raumfremden Macht und einer fremdbestimmten Bundesregierung in einen Krieg hineingetrieben, der nicht der unsere ist."* Mihi videtur hic nucleus calamitatis esse. At addendum est: nescio quomodo nos liberari possimus a potestate USA. **N.**

d.31. m.Oct. a.2022 h.07:31

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, mea opinione Bergholz habuit orationem excellentem. Solum semihoram locutus est, sed omnem horrorem inoculationis, quae vaccinatio dicitur, demonstravit. Heri uxorem obsecravi ut spectet hoc cinema. Recusavit. Vale semper, Naevius.

d.31. m.Oct. a.2022 h.11:09

**Nicolaus Naevio s.**

CARE NAEVI, uxor tua mihi videtur esse perseverantissima. Dicit autem Sanctus Hieronymus: "ERRARE HUMANUM EST, SED INHUMANUM EST IN ERRORE PERSEVERARE." **NLL**

d.31. m.Oct. a.2022 h.11:44

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, fortasse peius est: errorem non intellegere vult. Ei persuasum esse videtur se non errare. Medullitus VN

d.01. m.Nov. a.2022 h.18:09

**Naevius Nicolaos s.**

Miraculum quoddam factum est: Uxor spectavit cinema Bergholzianum. Scilicet, valde dubitat de datis. Dicit data non recte secundum normas statisticae scientiae collecta esse; valde dubitat de conclusionibus Bergholzii, valde dubitat de colloquio toto (Ärztessymposium). Omnia non sufficere... Adicere debeo: Ei est notitia

quaedam basalis de statistica; fecit annos multos ante "Statistikschein". Despero...  
Vale semper **Naevius**

d.06. m.Nov. a.2022 h.20:14

**Nicolaus Naevio s.**

Verba Veneris Batavae Iulianique probissima iam novi, Sahrae statim auditorus sum. Tu autem accipe calumnias a professorculo quodam Tubingensi contra Coronam Adipem scriptas. [https://www.t-online.de/region/stuttgart/id\\_100072528/-die-chance-zum-kritischen-diskurs-hat-die-vhs-reutlingen-leichtfertig-verspielt-.html](https://www.t-online.de/region/stuttgart/id_100072528/-die-chance-zum-kritischen-diskurs-hat-die-vhs-reutlingen-leichtfertig-verspielt-.html) Eine ehemalige Moskau-Korrespondentin geht auf YouTube viral und wird von einer Volkshochschule gefeiert. Den Osteuropa-Forscher Klaus Gestwa entsetzt das.

Iste globalistarum gerulifigulus mihi videtur dirumpi livore edacissimo. Certe ipse voluit acroasin facere Reutlingae! Sed Corona Adeps est eidem praelata. Itaque nunc pus et venenum evomit, ut honorem Coronae Adipis detrahat secundum verba illa tritissima q.s.: *Calumniare audacter - semper aliquid haeret!* Quid tibi videtur? **NLL**

d.06. m.Nov. a.2022 h.21:48

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, recte, venenum evomit contra Gabrielam. Nescio leges et mores facultatis historiae Tubingensae universitatis, sed scio Gabriele multos annos in Russia vixisse et bene scire mores Russorum. Nescio an Gestwa umquam in Russia vixerit et expertum esse cultum Russorum. Isti professores saepe summae superbiae sunt.... etiam puto nonnulla indicia esse eum invidere Gabrielae acroasin et echyn publicam; exemplum aptum mihi hoc esse videtur: contemptim loquitur de dissertatione Gabrielae. Sane hanc iudicare non possum. Vale semper **Naevius**

d.09. m.Nov. a.2022 h.02:26

**Nicolaus Naevio s.**

Ecce nova methodus electores alluciendi - mmh - siste - non est nova: In Italia est Ciccolina! Numerus electorum Liberalium certe vehementer augebitur! Gaudet Christianus Lindner: nondum mortua est Factio Liberalis! ALITER AC EMILIA FESTER ET RICARDA LANG PRASINAE PUELLAE STULTISSIMAE **H A E** MULIERES NON FIUNT POLITICAE SINE PERITIA PROFESSIONALI!!!<https://www.extrablitz.com/ex-pornodarstellerin-annina-ucatis-kandidiert-fuer-die-fdp/> **Vale, NLL**

d.09. m.Nov. a.2022 h.07:17

**Naevius Nicolao s.**

Christiano gratulor de ea femina adiuvante eum in suffragiorum certamine. Vivat Factio Liberalis! Vivat Annina! Hoc est factionis excellens quaedam renovatio.

d.09.m. Nov. a.2022 h.09:50

**Nicolaus Naevio s.**

Mammae quidem sunt artificialiter inflatae usque ad magnitudinem pedifolium -

sed in factione Lindneriana, quid dicam - in tota ista gubernatione - quid verum et genuinum et naturale et bonum et iustum est? NNL

d.09.m. Nov. a.2022 h. 09:54

**Naevius Nicolao s.**

Recte, amice optime. Mammae artificialiter inflatae sunt signum inanitatis Factionis Lindnerianae, et, ud audeo adicere, signum inanitatis omnis gubernationis nostrae. **N.**

d.15. m.Nov. a.2022 h.11:17

**Nicolaus Naevio s.**

Rogierius laudat Aliciam, laudat Factionem Alternativam. In Germania qui diurnarius hoc audet? NLL

d.15.m. Nov. a.2022 h. 11:42

**Naevius Nicolao s.**

Bene scimus neminem ex diurnariis nostris haec audere et ausurum esse. Eius finis cursus professionalis esset. Ergo ei tacent vel diffamant factionem Alternativorum. Quaeso, excuses menda mea et lapsus meos orthographiae - eis diebus otium me deficit. Etiam quaeso, si tibi sunt data spectantia ad "vaccinationem" morbum Coronarium gravem **non** prohibentem, mittas mihi. Volo demonstrare ea uxori. Gratias ago - vale semper **Naevius.**

d.15.11.2022 h.21:28

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, gratias magnas tibi ago pro commendatione. Consilium tuum mihi valde placet, etsi nescio an placeat uxori... talia dona iam saepe a me accepit. Hilares et tranquilli sint dies natales Domini. Etiam soceri venient... ei etiam adhuc abitantur, ni fallor, pseudo-vaccinationem bonam esse. Cura ut valeas Naevius

d.16. m.Nov. a.2022 h.02:35

**Nicolaus Naevio s.**

Bene intellego. Illuminatio mentis interdum nimis dolorosa est. Ceterum lumen est forma energiae. Et nobis hoc tempore energiae parcendum est. Iamne vidisti psychoanalysisin gubernationis nostrae a Iuliano Reichelt factam? O utinam pereat tota ista Prasinorum caterva pravissima! **Vale, NLL**

d.16. m.Nov. a.2022 h.20:43

**Nicolaus Naevio s.**

QUID TIBI VIDETUR DE CANTILENA GENDERISTICA?

<https://www.youtube.com/watch?v=nM4wOHJGfqq> Inest ille furcifer genocida bellator aggressivus trucidator (Nefas!!!) personam Vinnetoui gerens. NLL

d.16. m.Nov. a.2022 h.22:10

**Naevius Nicolao s.**

Certe iam vidi satiram meliorem...sed me iuvat esse aequales de ideologica genderistica insana dubitantes. **N.**

d.18. m.Nov. a.2022 h.12:20

**Naevius Nicolao s.**

Modo hanc sententiam inveni in interrete. Valde placet. "*Moral indignation is a technique used to endow the idiot with dignity.*" Marshall McLuhan. --- **N.**

d.18. m.Nov. a.2022 h.13:19

**Nicolaus Naevio s.**

REM ACU TETIGIT ILLE MARESCALCUS! HAEC VERBA LEGENTI STATIM IN MENTEM MIHI VENIT ANNALENULA URSIHIRCINA DE PUTINO INDIGNATA. **Vale, NLL.**

d.18. m.Nov. a.2022 h.13:32

**Naevius Nicolao s.**

Recte! Inveni hanc sententiam ad prasinum arrogantissimum spectanctem hic: <https://www.youtube.com/watch?v=Zor2xUScwNw> Iste ipse Idiotas in interrete ostendit arrogantiam suam et habitum suum antidemocraticum. Intolerabile! **N.**

d.20. m.Nov. a.2022 h.11:50

**Nicolaus Naevio s.**

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nach hoeren/die-sonntagsrunde/die-sonntagsrunde-mit-burkhard-mueller-ullrich-flg-46-eine-raetselhafte-rakete>

CAROLUS PETRUS NIGER PUTINI CUPIDITATEM DOMINANDI ET EXPANDENDI CUM HITLERIANA COMPARANS VERBIS IMMODICE EXAGGERAT - NE UNO VERBULO COMMEMORAT IMPERIALISMUM ET IURIS GENTIUM FRACTURAS AMERICANORUM. EHEU SANE INAEQUALITER IUDICAT ! **OPTIME MIHI CENSERE VIDETUR ERICA PETRIRIVA !** QUAE FORTISSIME PUGNAT CONTRA SPIRITUM TEMPORIS TAEDIOSISSIMUM. **NLL**

d.20. m.Nov. a.2022 h.11:56

**Naevius Nicolao s.**

Gratias magnas tibi ago pro recommendatione tua. Non iam audivi, sed audiam, nisi otium me deficiet. Fortasse haec etiam iucunda sunt; solum partem parvam audivi: [https://www.achgut.com/artikel/indubio\\_folge\\_251\\_19\\_11\\_2022\\_exegete\\_der\\_unmenschwerdung](https://www.achgut.com/artikel/indubio_folge_251_19_11_2022_exegete_der_unmenschwerdung) Cura ut valeas **Naevius.**

d.21. m.Nov. a.2022 h.21:30

**Nicolaus Naevio s.**

Erica Petririva sentit talem factionem novam simili modo diffamatum iri ac Alternativam necnon mox interituram esse. Equidem puto effectum eiusdem factionis Alternativam damnum capturam esse, conservativos diffisum iri. Istud autem etiam fieri poterit Sahra si novam factionem condiderit. Quid censes? **NLL**

d.21. m.Nov. a.2022 h.21:42

**Naevius Nicolao s.**

Recte, de hoc tecum et cum Erica Petririva consentio. Itaque censeo gravissimum esse recuperare spatium prae-politicum; vix possibile est hunc finem consequi factione nova condenda. Vale semper, medullitus **Naevius**.

d.23. m.Nov. a.2022 h.10:58

**Nicolaus Naevio s.**

DEBES AUDIRE ALICIAM ALTERNATIVAM - QUAE LOQUITUR EXCELLENTISSIME !!! **Vale, NLL.**

d.23. m.Nov. a.2022 h.13:26

**Naevius Nicolao s.**

Oratio dolorosa, sed bona verissimaque. At quid dicit prasina stulta quae deinde blaterat? Dicit orationem Aliciae esse odiosam. Argumentis omnino caret ista prasina.

d.24. m.Nov. a.2022 h.19:05

**Nicolaus Naevio s.**

AGGLUTINATORES CLIMATOMANICI AERIPORTUM INVASERUNT ET COMMEATUM AEROPLANORUM DEBILITAVERUNT !!! TUTOR CONSTITUTIONIS AUTEM DECLARAVIT SIBI ISTOS PLACERE!!! **Vale, NLL.**

d.24. m.Nov. a.2022 h.19:05

**Naevius Nicolao s.**

Iste homuncio culus ingens est - garrulus intolerabilis. **N.**

d.24. m.Nov. a.2022 h.21:53

**Nicolaus Naevio s.**

Num hae mulieres revera possunt congregari? Difficile dictu! Una est socialistria, altera argentaria Goldman-Sachsiana. Num possunt umbram suam transsilire? Num est nihil nisi lusus phantasiae Elsässerianae? QUID TIBI VIDETUR, NAEVI CARISSIME? "*Was ist heute noch links, was rechts? Viele wissen es nicht mehr*". SAHRA WAGENKNECHT. **Vale, NLL.**

d.24. m.Nov. a.2022 h.22:15

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, certe, multae decussationes sunt. Sed etsi mulieres multas res aequo modo vident, valde dubito an factioni transversae (Querfrontpartei) tali futurum bonum sit. Timeo ne in rebus oeconomicis maxime dissentiant. Ergo tu mihi recte descripsisse colloquium eum videris: Quod eo tempore est solum lusus phantasiae. Vale semper **Naevius**.

## **ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.16. Aug. a.2022 h.19:05

**Nicolaus Ansgario suo s.**

Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAE imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maxime naturalis est et expers omnis tristitiae: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico extracta, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruire gaudiis aestatis. Carpe diem minime credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.19. Aug. a.2022 h.17:55

**Ansgarius Nicolao s.**

Salvus sis Nicolae! Gratias tibi ago, modo labori finem imposui, et domum reversus disquisitionem doctissimam de mentula et mente legi. Hic Tractatus phallico-philologicus mihi perplacuit, imprimis enodatio epigrammatis Catulli. Poeta Veronenis noster, etiamsi obscaenus, minime caudex fuit, et carmina eius saepenumero, quam ut primo obtutu videtur, subtiliora sunt. Non aliter quam epigrammata Martialis, optimus magister omnium scurrarum, doctus pariter et lascivus. Fac hilari sis animo! **Ansgarius**.

d.22. m.Aug. a.2022 h.20:19

**Nicolaus Ansgario suo optimo sal.pl.**

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 265 tibi missam? Epistolia tua mihi pretiosa ei indidi. Addo nunc commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis. Legas quaeso et symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendici impositam. Suspenso animo exspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime!  
Medullitus te salutat Nicolaus.

d.23. m.Aug.a.2022 h.08:02

**Nicolao salutem Ansgarius.**

Deest appendix, quo symbola illa, quae amicum tuum valde sollicitat, continetur. Quamquam sectatores extremarum partium sinistrarum et prasini iam tyrannidem occuparunt, ut omnibus sententiam fronte celemus necesse sit, ni egregie fallor, nimis vehementer sollicitatur amicus Andrea. Nemo curat, quid latine scribatur, vel quo pacto homunculi litterati inter se colloquantur. Et cum res publica in summo discrimine versatur, nonne licet orationem incitatam, gravem, vehementem adhibere? Mihi mittas, quaeso, symbolam illam, quae de rebus germanicis tracatur, ut videtur. Fac valeas!

d.23. m.Aug. a.2022 h.10:20

**Nicolaus Ansgario suo s.**

Gratias pro verbis tuis! In appendice invenies textum quem Andreas putat nimis acriter et iracunde esse scriptum. Iudica tu ipse et vale pancratice. Haec raptim, mox certe plura. Medullitus Nicolaus.

d.23. m.Aug. a.2022 h.13:16

**Nicolao salutem Ansgarius**

Symbola illa, nec temperantiam nec moderationem, in disceptatione adhibendam, ut quidem sentio, adimit. Lucium, ut decet patriae amantem, casus ancipites Germaniae multis frangunt curis. Cum in vexillum coloribus arcus pluvii pictum, in curia urbana impositum, animadvertit, sane rem acu tetigit. Libertatem autem homosexualium corripere non studet Lucius noster, sed in re publica dominationem minoritatis, praesertim suo commodo inservientis, vehementer recusat. Adumbrat etiam statum rerum ambiguum, qui ad rem publicam fovendam maximi momenti est. Ut enim res publicae floreat et crescant, molles atque umbratici, non minus quam viri fortes et strenui opus sunt. Haec quaedam concordia dissimilium efficit, ut nec nimis intemperanter bella conflentur, nec corpora adolescentium litteris nimis indulgendis enerventur. Nunc vero temporis, quamvis delicati et lascivi omnibus partibus scateant, europai iam non artibus nec armis praestant. Ubinam igitur sunt viri ad res agendas agiles et animo acri?

d.24. m.Aug. a.2022 h.13:39

**Nicolaus Ansgario s.**

Summas gratias, care Ansgari, tibi ago pro recensione symbolae aequa atque iusta. Equidem confiteor animum meum insigniter affectum esse aversione omnis censurae atque (qualis inepte dicitur) politicae rectitudinis. Quibus enim libertatem nostram sententiae dicendae iam pridem pessime et fataliter deminutam esse pro certo habeo. Itaque sperabam saltem commercium nostrum litterarum Latinum fore quodammodo refugium hominum libere cogitantium. Semper mihi exemplo est Voltarius, qui dicitur dixisse alicui homini sibi exoso: "Domine, ea quae dicis omnino displicent mihi, quia scio eadem prorsus falsa esse. Tamen sit tibi persuasissimum me paratum



esse vitae meae pretio id curare, ut tibi permittatur sententiam tuam dicere." Haec hactenus dicitur dixisse Voltarius, fortasse non explicite, sed tamen implicite. Valeas basilice! Medullitus te salutat Nicolaus.

## **ANDREAS PIZZOTTI EDITOR EPHEMERIDOS**

d.19 m.Aug. a.2022 h.17:00

**Nicolaus Leo Latinus Andreae Pizzotti editori Ephemeridos sal.pl.**

In appendice invenies Epistulam Leoninam novissima. Quam nudius tertius iam misi Albino. Scisne num idem Daedalus noster hoc tempore paratus sit ad opus interretiale faciendum? Vale semper et degas tempus turbulentum quam iucundissime. EPHEMERIS utinam vivat crescat floreat!

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.19. m.Aug. a.2022 h.20:22

**Salvus sis, Nicolae optime.** Epistulam tuam recentissimam nuper recepi. Albinus noster nobis dixit forsan melius esse consilium novam sedem apparare, ad quam agendam familiaris meus iam nomen indicavit. Quam primum hoc factum iri spero. Cura ut valeas

d.19 m.Aug. a.2022 20:31

**Nicolaus Andreae s.**

Care Andrea, gratias tibi ago pro nuntio tuo, quem - ut verum confitear - non satis bene intellego. Vultisne sedem novam interretialem condere? Quis est familiaris tuus? Vultisne nomen et inscriptionem interretialem et argumenta mutare? Quaecumque fient, rogo, ut me sat mature facias certiozem. Utinam res bene evadat!

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.20. m.Aug. a.2022 h.16:53

**Andreas Nicolao s.**

Albinus scripsit ad me Lydiamque meliorem esse situm novum apparare, ne sedes vetus, quod difficillimum longissimumque esse dicitur, renovari debeat. Nomen, argumenta omniaque minime mutare studeo, sed novo iudicio aptum apparare situm. Familiaris meus amicus vero informaticae rei peritus: ipse quoque omnium rerum nostrarum migrationem perducere potest. Haud tamen celerrime hoc effectum iri puto. Cura ut valeas **Andreas.**

d. 20 m.Aug. a.2022 17:12

**Nicolaus Andreae s.**

Utinam bene progrediatur haec mutatio interretialis! Mittam tibi nonnullos nuntios breviores, quos loco apto Ephemeridis imponas. Modo accepi symbolam a lectore missam, quam imponas quaeso. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.21. m.Dec. a.2022 h.12:00

P.S.: Nescio vere utrum nuntium hunc per lectorem missum publicare debeam. Opiniones enim tam fortiter expositae adseverataeque, ut scis, apud nos more solito non divulgantur. Nuntios breviores tuos valde exspecto. Gratias plurimas tibi, Andreas

d. 21 Aug, a.2022 17:30

**Nicolaus Andreae s.**

Care Andrea, estne destructio libertatis sententiae dicendae iam tantum progressa, ut ne Latina quidem maneat a censoribus intacta? Qualis ephemeris est, in qua non debeant publicari commentarii? Oportet clare distinguantur commentarii a nuntiis; talis distinctio - pro dolor! - a diurnariis hodiernis saepe non iam respicitur. Sed clare apparet symbolam tibi missam non esse nuntium, sed opinionem, quae spectat ad nuntium nuper publicatum. Certe invenies rubricam Ephemeridis aptam, ubi eam publiques. Quid sentis verbis quae sunt "*Opiniones enim tam fortiter expositae adseverataeque*"? Non intellego. Quis custodit nuntios ab Ephemeride publicatos? Estne revera censor nuntiorum Latinorum? Iamne aliquis te vituperavit propter nuntium sibi displicentem? Utinam generaliter valeat illud proverbium Romanorum: "AUDIATUR ET ALTERA PARS!" Si quis (fortasse tu ipse?) aliter sentit ac auctor, ipse scribat symbolam contrariam, ut fiat disputatio vivida! An tu ipse nimis anxiose laboras ex "forfice capiti iam imposita", qua ipse es censor tui?

Tanta anxiositate praepropera ipse adiuvas destructores libertatis nostrae. Symbola CLIMATICAS...", quae inest appendici huius epistolii, est nuntius ipse: nuntiatur de declaratione scientistarum. Solum incisum ultimum continet commentarium (qui spectat ad alios diurnarios); sed hic commentarius clare discernitur a nuntio antea relato. Sodalis Latinissime, animo fingere non possum te nimium abundare symbolis (satis) Latinis tibi missis. Ergo, care Andrea, tibi suadeo, ne animo nimis pusillo noceas rei propriae. Nam oportet haec EPHEMERIS heredum Patris tui maxime honorabilis pretiosum vivat crescat floreat. In multos annos! Medullitus te salutat  
NNL

d.21 m.Aug. a.2022 23:20:

**Andreas Nicolao optimo salutem dicit.**

Amice, hodie stans pede uno tibi scripsi neque rectius cogitationes meas exposui: nunc verbis respondeo prioribus. Bene quod dixi intellegisti: "opiniones tam fortiter expositae adseverataeque" publicari non solent. Opinio omnis vero divulganda est, sed modo si propriis modis scribitur atque respicione plenis verbis componitur. Ipse nuntium libenter publicabo, cum opinio proprio sermone exponebitur. Lector ille scripsit *vexillum album deditionis mentalis et moralis, parlamenti politice castrati, canino more se subicit minoritatibus a pudore liberatis,*

quae vero sententiae irae livorisque motu conscriptae, non conloquii parte construendi digni mihi videntur. Causae praeterea "Russophobiae" (cui re vera pro bono libertatis fraternitatisque inter homines nec ego cedendum esse puto) nimio livore contra adversarios praeponuntur. Hoc est quod tibi demum pangere conor: huius lectoris opinio pro tuto vulganda est, sed modo si opinionis more scribitur, non perorationis livore plenae. Nunc ad censuram perveniam: Latinitate scriptorum nuntiorum nemo censor est neque esse potest debetve, sed ratio sensusque suppetere deberent. Ego quidem, exempli gratia, dictatorem illum Kim Jong-Un, etsi exsecrabilissimum, non "canem" nominarem nec de eo aliquid mali scriberem, nisi de scelestis missilibus nuclearibus, quae vero totius orbis perniciem adiuvant.

Quod ego igitur persevero, hoc est: Lucii Iunii Brutii opinio sane divulgetur, sed verbis sententiisque pacatis nec iniuriis plenis. Ille enim opinionem suam scribere potest debetque, sed, ut vulgetur, opinio ipsa propriis verbis exponenda est. Gratias ago tibi. Cura ut valeas, **Andreas**.

P. S.: Nec mihi caelestis arcus vexilli apud parlamenti cuiuscumque reipublicae tectum expositio placet: parlamentum vero totius nationis vocem publicare deberet atque vexillum illud, quod unius factionis symbolum est, nec mihi in parlamenti tecto ponendum est. Haec est sententia mea, de qua si per symbolam disserere vellem, his verbis pacatis disposerem, non illo modo, quo lector usus est.

## **JOANNES CAROLUS MEDIOLANENSIS**

d.22. m.Aug. a.2022 h.18:35

**Nicolaus Joanni Carolo suo optimo s.pl.**

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 265 tibi missam? Epistolia tua mihi pretiosa ei indidi. Addo nunc commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis. Legas quaeso et symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendicem prioris epistolii mei hodierni impositam et epistolia, quae nunc addo. Suspenso animo exspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime hortuli philosophiae dedite! Medullitus te salutatur Nicolaus.

d.22. m.Aug. a.2022 h.23:53

**Joannes Carolus Nicolao s.**

Me rogas, Nicolae mi, ut sententiam meam aperiam de re perdifficili aleaeque plena, cui doctissimi quique homines inde ab inventa scriptura student. - In praesentiarum haec pauca: novi Andraeam Pizzotti adolescentulum, adhuc vivente patre, qui familiaribus praemature ereptus est, atque in eo jam ingenii acris vivacis studiosi indicia deprehendere licebat. - Si vero talis adolevit, qualis praesentiri tunc poterat, equidem, ut Italus, qui mores Perluscanorum molestissime tulit ac fert, intellego quae sit causa cur tantopere livor dipliceat Andreae, ut arcendos esse censeat liventes ab Ephemeride sua: livor enim et contumeliae et calumniae et convicia fuere (ac quidem sunt!) apud diurnarios Silvio famulantes (maximam diurnariorum partem pro pudor!)

praecipua instrumenta quibus studia factionum concitarentur, adversarii lacerarentur, supprimeretur denique et veritas et disputandi ipsa facultas. - Quicquid ideo proxime ad livorem in cujusvis scriptis aut orationibus accedere videtur, revocat in mentem plerisque nostratum factiosam morum perversitatem, qua animi nostri sunt tamdiu exasperati, ut vel umbram livoris, siqua est, pertimescere videamur. - Ceterum censeo liberum esse cuilibet sententiam suam aperire, dum ne is quemquam laedat aut factiose, fallaciter inaniterque mentiatur. - Sed de his fusius, ubi primum otium suppeditarit. Vale basilice, immo papaliter!

d.23. m.Aug. a.2022 h.00:29

**Nicolaus Joanni Carolo suo s.**

Gratias pro his verbis prompte mihi scriptis, quibus aliquatenus certior factus sum de causa sensibilitatis, qua Andreas videtur esse insigniter affectus. Spero fieri posse, ut proximam occasiunculam nacti accuratius de hac re disputemus.

Nam equidem confiteor animum meum insigniter affectum esse aversione omnis censurae atque (qualis inepte dicitur) politicae rectitudinis. Quibus enim libertatem nostram sententiae dicendae iam pridem pessime et fataliter deminutam esse pro certo habeo. Itaque sperabam saltem commercium nostrum litterarum Latinum fore quodammodo refugium hominum libere cogitantium. Semper mihi exemplo est Voltarius, qui dicitur dixisse alicui homini sibi exoso: "Domine, ea quae dicis omnino displicent mihi, quia scio eadem prorsus falsa esse. Tamen sit tibi persuasissimum me paratum esse vitae meae pretio id curare, ut tibi permittatur sententiam tuam dicere." Haec hactenus dicitur dixisse Voltarius, fortasse non explicite, sed tamen implicite. Valeas basilice! Medullitus te salutat Nicolaus.

d.23. m.Aug. a.2022 h.17:58

**Joannes Carolus Nicolao suo sal.**

Rem acu tetigisti: irritabile est enim quorundam Italarum genus, quorum cuticulae moribus Perluscanorum exasperari pergunt! Tibi autem assentior Voltarium ad imitandum proponenti: liberum sit cuique quod sentit palam facere, nostrum esto ejus libertatem dicendi tueri. - Tamen saeculum hoc inficetum, quo nuntii omne genus ne dicam mendaciorum plena facillime divulgantur, monet ut fallaces a veridicis discernamus, neve idem his atque illis spatium dicendi concedamus. - Sunt enim hinc qui sententias suas argumentis fulciri conantes, profiteantur omnia a se credita in dubium revocari posse, si quando nova et ea firmiora afferantur argumenta. Hujus generis sunt scientifici, qui Galilaei vestigia prementes, veritatem probando reprobando, si non attingi, at peti posse putant; ne dicam de Popperio, asserente scientiarum disciplinas firmari fallendo. - Illinc autem sunt fanatici, quibus omne mentis figmentum pro dogmate concipitur, quibus opinionum diversitas intolerandum flagitium est et inexpiabile crimen, quibus aliter sentientes poena sunt plectendi. Equidem arbitror scientificis largissime concedendum esse, ut opiniones aperiant suas; contra a fanaticis cavendum, nequid detrimenti capiat R.P., si forte eorum

opiniones cum scientificorum temere conferantur, quasi essent ejusdem juris. - Vide, exempli gratia, emissiones stationis cui index Fox, quae mihi quasi uberrimus fons esse videtur, quibuslibet armis potentior, e quo Americanorum colonica dicio per totum orbem terrarum manat. Isti solent falsa veris callidissime (dixerim vulpine...) admiscere, adeo ut imperiti nesciant cui fidem habeant: modo enim Foxiani de philosophia naturali argumentose subtiliterque agunt, modo fidem faciunt Judaeis orthodoxis, quibus mundus ante quinquemilia et septingentos annos fere e nihilo creatus est; modo implexas causas bellorum explicant, arcessitis testibus, historicis, philosophis, allatisque imaginibus ac documentis, modo omnia mala mundi referunt occultae Judaeorum conjurationi, qui pactiones inierunt non modo cum Fabris Murariis seu Lithotomis (sic ipsi se saeculo XIX appellabant latine) sed etiam cum ipso Pontifice Romano (sic!). - Cetera sileo de ignotis velivolis ultramundanis, de antiquissimis caelicolarum nautis, de origine et situ pyramidum, de secretis nemini vulgandis, quae omnia ita tractantur vulganturque ut verissime probata, et eo magis credenda, quod quasi arcana imperii a Mundi Principibus occultantur. - Itaque fit ut omni amoto discrimine inter probata et commenticia, seu, si mavis, inter probabilia et probanda, eadem fides adhibeatur blateronibus vel fallacibus, quae hominibus doctis, eadem praeconibus ac fanaticis, quae sapientibus... - Video me longius evagatum esse, sed habeas causam cur hanc questionem de nuntiis divulgandis difficilem esse aleaeque plenam superioribus litteris dixerim. - Sat prata bibisse puto mihi que est nunc canis foras mictum cacatumque deducendus... - Vale plurimum!

d.24. m.Aug. a.2022 h.12:35

**Nicolaus Joanni Carolo suo s.pl.**

Gratias pro incitamentis cogitandi! Multa commemoras, quae non una epistula possunt satis subtiliter tractari, ideoque praebent nobis materiam alias quoque epistulas scribendi novam et delectabilem. - Saepius oblique perstringis Silvium istum Priapum politicum Italiae inextinguibilem et oblivione indelebilem, qui videtur tamquam Phoenix iterum iterumque renasci ex cinere suo. Videris istum haud magni aestimare, quamquam per longum tempus iterum iterumque a compatriotis tuis est electus et nunc senex iam grandaevus, sed nondum decrepitis denuo ad rem publicam processit. Rumores ferebant (et ferunt?) eundem cantorem atque "caballarium" cum "Societate Honorabili" nimis arta familiaritate coniunctum esse. Dicebatur amicus Gaddafii beduini Libyci esse, quocum celebraret famosa illa convivia bungabungiana, ubi etiam "Ruby" puella bellissima erat persona gratissima - ut prorsus nesciam, num istum comparem cum Catilina an cum Verre an potius cum Trimalchione illo Petroniano. Hans Magnus Enzensberger poeta et "papa" litteraturae Germanus, miratus, quod Silvius Italis tam gratus esset, narravit: "Amici mei Itali dicere solent Berlusconi certe non esse animam candidissimam, sed esse optime vasatum et coleatum, i.e. *"molto fallico"*, sibi admirationem movere istius viri - pro aetate eius - stupendam virilitatem - corpus robustum, animum audacem et

indefessum. Quid tibi videtur? - Vale semper, mi care sodalis hortuli frequentator, et perge mihi favere. - Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.26. m.Sept. a.2022 h.23:30

**Nicolaus Joanni Carolo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

De electione Italica alii aliter sentiunt, care Joannes Carole; quid tibi videtur?

Suspensio animo exspecto responsionem tuam.

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.27. m.Sept. a.2022 h.19:22

**Joannes Carolus Nicolao suo salutem!**

Antequam rem ipsam aggrediar, oportet pauca de me referam, cujus animus, seu propter indolem, seu propter vitae cursum, duplex est et quasi in duas distrahitur partes. Hinc enim a novatoribus sum maxime alienus, si forte bona communia lucri causa destruunt, etsi usui eadem esse pergunt; hinc mutari ardentem cupio quicquid mortalium felicitatem imminuere videtur. - Exempla affero nonnulla, quo facilius intellegatur mens mea. Delector machinis vaporariis, commoveor priscis caeremoniis, locorum naturam admiror, adamo antiquitates: horum omnium, si liceret, essem retinentissimus. Sequitur ut eos odio oderim Vatiniano, qui ferriviarum tractus sunt amoliti, ut spatia viis autocyneticis aperirent; qui veterum rituum splendorem exstinxerunt, ut plebeculae morigererentur pulchri nesciae; qui amoena Italiae litora aedificando obruerunt domibus, quae non amplius tribus in anno mensibus habitarentur; qui agros vastarunt officinis ergasteriisque, nulla ratione habita locorum circumjectorum; qui pulcherrimas quasque urbes, artificiis reverendis onustas, novis turparunt aedificiis; qui jura et officia, arte inter se conjuncta, sejunxerunt ac permiscuerunt, libita in licita convertentes, vetita in jussa, iniqua in justa; qui veritatem praeconiis callidis fallacibusque promissis supprimunt; qui Foederatis Arctoamericanis servorum more famulantur ed adulantur, quicquid horridum ab eis partum huc invehentes; qui denique Mammonam sibi deum elegerunt, sorti et usuris unice inhiantes. - Contra colo libertatem nobis divinitus inditam, cujus fines aliorum libertate statuuntur; furorem fanaticum, quibus monotheistae praeter Dei praecepta concitantur, esse omni modo radicitus evellendum censeo; scientiarum disciplinas, quae monente Galilaeo probando reprobando provehuntur, ad populorum progressionem plurimum conferre abitor; populum esse ad humanitatem instanter informandum publico sumptu puto; vitae magistros optimos mihi selegi Lucretium, Erasum, Spinozam, Vicum, Marxium, Heribertum Marcusium, Claudium Levis Strauss, Franciscum p.p.... - Vide, mi Nicolae, causas nonnullas cur ego semper Laevorum factionibus sim suffragatus, utpote quae a studio omnia novandi immutandi evertendi, quo ardent Mammonae assertores -nunc Neoliberistae audiunt-sint maxime alieni. - Sophisma est enim fallacissimum existimare Laevos "rerum novarum" cupidos, Dexteros rerum servatores acerrimos. - Haec de me hactenus.

Aliis litteris quid de novo rei publice regimine sentiam, tibi lubenter aperiam. Interim vale multum!

d.01. m.Oct. a.2022 h.08:37

Inde ab initio non dubitavi quin Americani ipsi effregissent gasi ductus, ut hinc damnum Europaeis inferrent, hinc culpam in Russos converterent. Ut Italus probe novi quot flagitia Arctoamericanorum Servitia Clandestina admittere soleant!

d.01. m.Oct. a.2022 h.11:49

Sophos! In hac re, care Joannes Carole, perfecte atque absolute tibi assentior! NLL

## **RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS AERIOPOLITANUS**

d.21.m.Aug. a.2022 h.01:41

### **Care et ter doctissime Leo Latine**

Tua philologica scientia maximam admirationem mihi affert. Quid de tuo eruditissimo labore dicere possim? Arbitror te veram vocabuli mentulae etymologiam invenisse... sed minime doctus sum ut bonus de hac re iudex aestimer. Gratias etiam ob lectionem quam agis de illo Catulliano: “Moechatur Mentula κτλ.” Heres quidam clarissimorum Wilamowitz et Meyer-Lübcke ad me scribit! In astra me extollis. Valeas semper, **Radulfus**

d.21.m.Aug. a.2022 h.10:51

### **Leo Radulfo s.**

Summas gratias tibi ago, care Radulfe, pro laude benevolentissima. Semper iuvat legere, quid sentiant alii de opusculis quae scribimus. Qualis est nunc tempestas in regione tuâ? Potesne interdum ambulare in regionibus naturalibus, per campos montes silvasque, an semper mari caeliscalpiorum autocinetorumque es immersus? Scribas quaeso, bone amice, de rebus, quibus circumiectus es. Cupio de Argentinâ aliquid legere, quia numquam ibi fui. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

Am 22.08.2022 um 00:30 schrieb Raúl Lavalles:

Carissime Leo Latine

Terra mea rebus naturalibus abundat, etsi urbem non parvam habito. Non autem viridia desunt in ipsa civitate. “Pampa”, vox hispánica originem “quechuanam” trahens, ‘planities’ intelligitur; i.e., sine montibus collibusque. De alia re, “car”, “auto” vocabulo “raeda” dico, ad modum mexicanum, ut ita dicam (carro). Nihil mihi contra autocinetum est: solummodo notiunculam ago. Denuo gratias. Tuus **Radulfus**



d.22. m.Aug. a.2022 h.5:52

**Leo Radulfo s.**

Gratias pro verbis tuis. "Pampam" commemoras et dicis eandem vocem esse originis quechuanæ. Suntne adhuc pastores boum ("gauchos") in pampa vestra et adhibent adhuc "bolas"? De his legi in fabulis romanis ante longum tempus. Suspenso animo exspecto responsum tuum. Vale semper et carpe diem. Leo Latinus.

d.22. m.Aug. a.2022 h.16:25

**Care Leo Latine**

Hodie gauchones sunt prope decorativi. Venduntur "boleadoras" hodie fabricatae... et non ab Indis. Cum versionem Latinam nostri MARTÍN FIERRO feci, gaucho a me gaucho, onis/gauchus, i redditum est latine. Bolas mihi erant pilae. Sunt etiam aliae delirationes, quoniam erat mihi in mente non ciceronianismus sed lingua Latina *a modo mio*, non sine risu. - Ut vides, longinquus amicus tuus valde delirat. Si in has pampas veneris, mihi, precor, indica (hodie vili pretio qui euronos habeant hic degere poterunt). - Tempus non tibi abundat sed, si vis cursim currere mem interpretationem (versionem melius dicam), documentum adiungo. Vale, Radulfus Italicus "gaucho" Argentiniensis

d.22. m.Aug. a.2022 h.18:02

**Leo Radulfo s.**

Summas gratias pro GAUCHONO tuo Latino! Multos versus Letine reddidisti! Mira verba etiam confinxisti - libenter perlustrabo Pampam Latinam! --- Sinas me alteram rem tibi pandere: Legas, quaeso, commercium litterarum cum Andrea Pizzotti factum, quo agitur de censura symbolarum. Legas quoque appendicem, cui inest symbolam quam Andreas postulat ut auctor rescribat. Quid tibi videtur? En res quae mihi digna disputatione videtur. Vale semper, medullitus Nicolaus Leo Latinus.

**GUGLIELMUS MONETTI**

d.27. m.Aug. a.2022 h.13:47

**Gulielmus Nicolao suo s. p. d.**

Mirarisne, optime, epistulam illam non editum iri? At miror te mirari. Mirarer si ederetur. Immo miror ad Ephemeridem missam. Neque id propter epistulam ipsam, quam non vitupero, quin etiam laudo; sed propter paginam retialem, ad quam est missa. Ne longus sim: Epistulas tuas Leoninas equidem et propter Latinitatem, et propter res ibi inditas lego. Et propter Latinitatem et propter res, Ephemeridem non lego. Cura, ut optime valeas!

d.27. m.Aug. a.2022 h.21:30

**Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.**

Gratias ago multas, mi care Guglielme, pro responso tuo. Video nunc te Ephemeridis vituperare et Latinitatem et argumenta. Scilicet neminem linguae latinae peritum, qui

nonnullas huius periodici interretialis symbolas inspiciat, praeterire posse quandam sermonis et argumentorum debilitatem. Tamen oportet caveamus, ne praeproperê minoris faciamus studia sincera et laboriosa hominum istâ in tempestate rerum quâ vexamur pro Latinitate vivâ pugnantium. Scilicet te, ut es philologus peritissimus, postulare, ut Latinitas colatur quam ornatissimê. Sed pro pace tuâ rogo te, bone amice, ut cognoscas cavendum esse ne nimia postulando perdamus omnia. Noli oblivisci esse varia genera dicendi: non solum illud sollemne et rhetoricum et elegantissimum, sed etiam hoc humile et vulgare, quod aptum est ad nuntios cottidianos afferendos. - Si tibi Ephemeris minus placet quam ut in eâdem symbolas publices - novistine alterum periodicum Latinum methodo technicâ comparabili instructum, quod tibi videtur dignius symbolis tuis publicandis? Timeo ne non. Itaque tibi commendo, ut symbolis quam plurimis scribendis et in Ephemeride publicandis qualitatem horum actorum facias meliorem. Nonne sic faciamus, care Guglielme? Quod nobis displicet, studemus melius facere - quid tibi videtur? Scribe mihi, amice Latinissime, quidquid tibi in buccam venerit. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.28. m.Aug. a.2022 h.00:35

**Guglielmus Nicolao suo s. p. d.**

Rectissime tu quidem, care Nicolae: tuae humanitati cedo. Duo tamen te corrigere velim: neque philologus sum peritissimus ego, qui utinam essem, neque Ephemeridem vitupero, qui eam praetereo. Aliud alios delectat et iuvat. Cum Latinitati vivae diu noctuque studerem, essemque Latinae consuetudinis adipiscendae perquam cupidus, non invite fateor me Ephemeridis et exemplo incitatum (esse periodicum interretiale totum Latinum, quo de rebus nostrae aetatis plurima invenias, sophos!) et lectione adiutum. Atqui diu corruptissime ipse Latine scripsi (utinam nunc minus). Haec de re, si me sententiam rogas. At quid denique de illa epistula fiet? Vulgabiturne? **Cura, ut optime valeas!**

d.28. m.Aug. a.2022 h.00:35

**Nicolaus Guglielmo s.**

Gratias plurimas, quod tam prompte respondisti. Ille Andreas mihi nondum respondit. Ceterum Ephemeris (ut ille ipse confessus est) laborat ex penuria symbolarum magna. Idem editor praecipue cupit nuntios quam brevissime scriptos. Quidni ei grandinem mittamus talium nuntiorum? Fortasse deinde paratus erit etiam symbolas publicare, quarum argumenta abhorrent ab opinione sua. Quid censes, sodalis optime? Ceterum si symbolam philologam de studiis tuis poseos et rhetorices neolatinae mihi miseris, libentissime publicabo in Epistulis Leoninis. Nam pro certo habeo Latinitatem tuam esse subtilissimam necnon ornatissimam. Vale semper, Guglielme carissime. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.27. m.Sept. a.2022 h.00:59

**Nicolaus Guglielmo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

De electione Italica alii aliter sentiunt, care Guglielme; quid tibi videtur? Suspenso animo exspecto responsionem tuam. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.27. m.Sept. a.2022 h.17:20

**Gulielmus Nicolao s. p. d.**

Rogas, care Nicolae, de electione quid sentiam. Respondeam libere: Latine enim licet. Non improspere cessisse mihi videntur suffragia apud nos. Victi enim discesserunt ii, qui praetextu philanthropiae omnia divina humanaque miscent, praetextu socialismi vel coinonismi nos vinctis manibus in argentariorum potestatem iamdiu tradere laborant. At de fascismo antifascismoque turbas cient. Nugas meras: de umbris persaepe loqui deprehendas, qui de istiusmodi idolis loquuntur quasi de imminente periculo. Haec terricula arte offunduntur populo, ne perspiciat quomodo civitates vere regantur. Addo "amorem" Itolorum in suum praesidem, qui fuit ante, non electum sed impositum (ei a draconibus nomen), ex eo perbelle elucere, quod catervatim suffragia contulerunt in factionem quae una cum eo non fuit in gubernaculo reipublicae regendo sociata. Quo se vertent diurnarii, qui praesidem illum ab omnibus amari praedicabant? Sed quid de epistula leonina? Nam mense Septembri nulla est ad me perlata. Valeas optime!

d.27. m.Sept. a.2022 h.17:49

**Leo Latinus Guglielmo suo sal. pl.**

Gratias ingentes, mi care Guglielme, quod tam sincere respondisti! Verissime mihi dicere videris illos priores gubernatores sub praetextu philanthropiae omnia divina humanaque miscuisse. Talia - eheu! - nos quoque videmus in Germania, et cottidie dies diem docet de gubernantium ineptia atque improbitate. Iterum iterumque quaero ex me, quonam modo fieri potuit, ut homines tam stulti et inepti instruerentur summis rei publicae honoribus. Non desino muginari utrum causa malorum sit potius ministrorum publicorum stultitia an malitia? Denique non possum quin credam esse potestatem ingentem supranationalem, a qua politici nostri more ovium balantium oboedientes ita huc illuc trahantur - liceat adhibere verbum sanscriticum - ut a "sutradhara", i.e. ab eo, qui manibus tenet fila ducendi. Haec brevissime, mi care amice, mox certe plura. Proximam Epistulam Leoninam exspecta patienter: laboribus lexicographicis obrutus sum, tamen nuntios Leonis editurus sum. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.29. m.Sept. a.2022 h.16:35

**Guglielmus Nicolao s. p. d.**

manibus pedibusque in tuam sententiam me confero, care Leo; atque gratias habeo superis, quod nondum vocabulum sit in linguam Latinam invectum, quod "conspiracy theorist" significet: alioquin uterque nostrum vapularet! Ceterum de Italica

gubernatione videbimus. Ipsae res alta sperare vetant. Sed quaero nunc ego ex te, quid de ductione gasio afferendo cogites, quae nuper in mari Baltico inter Petropolin et Pomeraniam tribus locis mirabiliter vitium fecit; certe narvalus in eam arietaverit, aut delphines repandirostri iterum iterumque pando impegerint naso. Expectamus igitur luculentos Nuntios Leoninos! Vale lexicographice

d.29. m.Sept. a.2022 h.22:31

### **Guilelmo sal.pl.**

Bona et gravia dicis, mi care amice; de singulis universis fusius colloquamur occasiuncula data. Quam brevissime respondeo quoad gasiductus destructos: Si agitur de delictore inveniundo semper quaeramus cum Cicerone: Cui bono? - Procul dubio Putino hoc facinus tromocraticum valde nocet; nam vult Europaeis gasum suum vendere necnon his gasiductibus sistendis et expediendis Europaeos potuit nonnullam potestatem exercere. Ceterum sunt ductus Russici - quid est causae, cur destruat eos? Inepte nunc contenditur eum destruxisse hos gasiductus Gazpromianos. - Gretulariis certe vehementer placet nos non iam accipere gasum; nam volunt nos ad statum mediaevalem, ne dicam neolithicum redigere, ut ad veritatem adducant ideologiam suam absurdissimam. Sed nemo tam simplex est, ut credat Gretularios infantulos scaevos et ineptos tanta peritia technica esse, ut possint dispoisiones submarinas curare efficiendas. - Revera nemo tantam utilitatem percipiet ex destructione horum gasiductuum quantam Americani. Nam avarissime cupiunt nos cogere, ut emamus gasum suum fractarium multo carius quam Russicum et multo nocentiore methodo ex terra partum. Ipse Iosephulus somniculosus senex decrepitus ipse sceleratus sceleratoque spurio suo infamis; iam mense Februario annuntiavit gubernationem curaturam esse, ne Nordstreamianus gasiductus II operaretur. Similia iam annuntiavit illa Victoria Nulandia infamis (quae olim laecasin dixit Unioni Europaeae - "Fuck the EU"). Ceterum circa Bornholmiam insulam Danicam iam per complures septimanas vectae erant naves Americanae et Natonianae specialistis instructae. Russi non potuerunt in regionem illam invadere. Ceterum inde ex temporibus belli mundani alterius urinatores talium destructionum submarinarum peritissimi sunt illi illustres "Phocae" sive "Vituli marini" Americanorum ("Navy Seals"). - Quae cum ita sint, verisimillimum est istud scelus gravissimum et humanitati et opulentiae gentium et oecologiae adversissimum commissum esse mandatu gubernationis Americanae sive administrationis Bidenianae, i.e. bracchii Globalistarum sive Civitatis Profundae elongati. Haec hactenus brevissime, mox, si volueris, plura dicam. Vale semper pancratice. Utinam en penuria energiae vexeris! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus. P.S. Quidni dicamus "theoreticus conspirationis" sive "conspirativus"? N.

### **IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS**

d.1. m.Oct. a.2022, h.06:46

**Salvus sis, care Nicolae!** Care Nicolae scilicet scribere volui. O maledictum telephorum. Te valere gaudeo, valeo quidem et ipse, quanquam de ruina mundi vel

sane de bello omnium paene gentium futuro vel maxime timeo. Amicum saepe et pol verissimum te cognovi, quare nullo modo, crede mihi, tecum rixari velim. - Tamen plane dicendum censeo Carolium istum esse fontem vel pessimismum (ne vatem dicam falsissimum), cui vel minime credendum esse omnino patet, immo luce clarius mi videtur famae tantum et sane vanissimae eum servire atque hoc pecuniae tantum causa. - Cuius nugis vel insinuandi modis non tantum nullo modo credendum, immo omnibus modis repugnandum esse plane constare mihi videtur. Tu autem cura et ipse et cara uxor hoc mundo insano pulcerrime valeatis. Amice te salutat **Johannes tuus**

d.4. m.Nov. a.2022, h.06:48

**Iohannes Nicolao s.**

Pro pellicula vel acroasi abs te promissa gratias plurimas, care Nicolae, tibi ago. Sahrae nimirum omnino assentior. Et mimet ipsi mos sententiam – vel de linguis docendis vel de musica canenda vel etiam de vesicis istis maledictis gerendis – nimis libere dicendi (quo modo, ut et Sahara illa plane demonstravit, haud raro feminae virique docti munus amittere solent) molestus esse solet. - Tamen valde metuo ne ius sententiam de variarum rerum natura libere dicendi saepius faciliusque confundatur cum iure eos dissipandi rumores qui semel iterumque vel potius iterum iterumque immo ad nauseam falsi esse demonstrati sunt quique ad violentiam vel horrendam contra homines, immo (eheu!) contra gentes populosque innocentes haud raro duxerunt ducunt certeque (quod timeam) ducent. Ceterum utinam ne cura de rebus hodiernis quamvis vera rectaqua a republica litterarum te, Leo optime maxime, nimis diu divertat! Pancratice valeas semper curato, Johannes

**MARCUS CRISTINI BRIXIANUS**

d.20. m.Aug. a.2022 h.18:26

**Marcus Nicolao suo s.p.d.**

Gratias tibi ago, care sodalis, pro epistulis mihi missis proque dissertatione tua etymologica, quas nuper vidi. *Epistulam Leoninam* 265 cursim versavi et more solito miror industriam tuam! Quod ad pandyselectriam attinet, iam legi vocabulum ad subitanam inopiam roboris electrici (Anglice *blackout*) spectare...Cura, ut optime valeas.

d.20. m.Aug. a.2022 h.21:51

**Nicolaus Marco sal.pl.**

Gratias pro laude tua benevola. Spero te non aegre tulisse, quod non iam archivum (datothecam, scapum, *file*) misi lectoribus, sed tantummodo indicavi Ephemeridis sedem interretialem, ubi publicare soleo *Epistulam Leoninam*. Nam molestum est maiores copias datorum mittere. Quid tibi videtur?

Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.20. m.Aug. a.2022 h.22:17

**Marcus Nicolao spd**

Optime fecisiti: aliquando epistulae electronicae archiviis oneratae inter "litteras ingratas" ponuntur et perdifficile est eas invenire. Cura, ut optime valeas.

d.22. m.Aug. a.2022 h.18:31

**Nicolaus Marco suo optimo s.pl.**

Leags, quaeso, commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis (v. infra). Legas quaeso etiam symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendici impositam. Suspenso animo exspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime! Medullitus te salutatur Nicolaus.

d.27. m.Aug. a.2022 h.09:14

**Marcus Nicolao suo s.p.d.**

Commercium epistoliorum cum Andrea Pizzotto factum et symbolam legi: quid dicam? Tot capita, quot sententiae. Verba lectoris satis aspera sunt et fortasse Andrea malit commentarios sermone paululum placidiore scriptos in *Ephemeride* publici iuris facere. Est moderatoris commentariorum statuere, quae symbolae divulgandae, corrigendae vel reiciendae sint. Hoc genus est quidem censurae, sed omnibus in periodicis censura quaedam adest. His dictis, nos omnes scimus tempore renatarum litterarum lites asperrimas inter doctos fieri, verbis plurimis modestia omnino carentibus adhibitis. Ne plura scribam, de his lector ipse, mea quidem sententia, decernere debet. Si putat symbolam retractatam maiorem habere utilitatem ad res hodiernas diiudicandas, eam mutet, si non, eam alibi divulget (quidni in ipsis *Epistulis Leoninis*?). Ut autem audiatur et altera pars, aliquando symbolam quoque a fautore Ucrainiae scriptam vel interpretationem Latinam (exempli gratia) orationis praesidis Ucrainici in *EL* legere forsitan oportet... **Cura, ut optime valeas.**

d.27. m.Aug. a.2022 h.20:35

**Nicolaus Leo Latinus Marco Cristini sal.pl.dic.**

Gratias magnas, care Marce, pro verbis tuis animi tui aequitatem iustitiamque patefacientibus. Aequitatis causâ postulas, ut in Epistulis Leoninis publicetur orationis cuiusdam Selenskianae interpretatio Latina (quia in eodem periodico Latino iam edita est oratio Putiniana). Scilicet hoc facere possum - at bone Deus, mi Marce carissime - visne serio contendere hoc fieri debere aequitatis causâ? Nonne in omni terrâ Natonianâ, - i.e. globalistis obnoxîâ - îdem histrio hymnicê praedicatur, Russiae praeses ut alter Satanas daemonizatur? Sit tibi persuasissimum me non amare *Vladimirum*, me minimê comprobare impetum eius in Ucrainiam factum. Sed inaequalitas diurnariorum occidentalium crassissima in eo est, quod nuntios Ucrainicae gubernationis credunt (sine ullâ exceptione) omnes, nuntios Russicae nullos. Itaque commentarii plerorumque diurnariorum occidentalium nihil sunt nisi *propaganda* (sit venia verbo) unilateralis. Scilicet haud falso *Winstonum Churchill*

dixisse primam rem quae in bello moreretur, esse *veritatem*. Generaliter neutrius partis verbis est confidendum: neque Russicae neque Ucrainicae. At manifestum est diurnarios occidentales (exceptis alternativis paucissimis) de huius belli causis deque culpâ eiusdem effecti (quae non sôla est *Vladimiri Putini*) iudicare non unilateraliter, sed - ut audeam hanc formam adhibere grammaticam - unilateralissimê! Plerique diurnarii non digni sunt nomine suo, nihil sunt nisi scriptorculi aulici. Quisnam est *Selenskius* nisi histrio comicus minoris qualitatis, qui voluptuosê gaudeat gerens personam suae vitae praecipuam sibi a globalistis attributam? Nonne intellegis eum nihil esse nisi instrumentum et neurospaston et gerulifigulum gubernationis Americanae? Nonne iam pridem animadvertisti verum hostem Russorum in hōc bello non esse Ucrainios, sed Americanos globalistas? Nonne vides hoc bellum non hōc demum anno mense Februario incohatum esse, sed iam a.2014 in urbe *Chiovae* et in regione *Donbassianâ*? Certê res intricatior est quam ut uno tantum epistolio possit explicari. Ut unum tantum exemplum tibi afferam, quo explicem quantum valeat *propaganda* in huius belli tractatione diurnariâ: Novistine nomen Ucrainianae mulieris, q.e. *Lyudmyla DENISOWA*? Quae cum esset parlamenti Ucrainiani curatrix iurum humanorum, saepe in terras peregrinas (praesertim - ut postea cognitum est - calidiores et pulchriores, qualis Italia est) itinera fecit et innumeras relationes habuit de putativis facinoribus militum Russorum atrocissimis et crudelissimis, eoque modo animos auditorum politicorum tantopere commovit, ut statim parati essent ad arma Ucrainianis mittenda. Omnes diurnarii occidentales has relationes sine ullâ adnotatione criticâ acceperunt et typis mandaverunt, quamquam defuerunt testimonia valida. Forte fortunâ relatrix deprehensa est mendacissima ("relationes" nihil fuerunt nisi narratiunculae horridae, quas *Ludmilla* stupendâ facultate fingendi praedita mente confinxerat). A proprio parlamento non iam comprobata munere privata est - nonnulli diurnarii exteri quaesiverant testimonia facinorum a Ludmillâ mente confictorum - qualia non exstiterunt. Huic epistolio subiungo appendicem, cui insunt "MENDACIA UCRAINIANA". Lege res stupendissimas (quae non nuntiantur a diurnariis istius "fluminis principalis" (*mainstream*)). Lege et iudica ipse. Bene spero te mihi scripturum esse mox, quidquid tibi in buccam venerit. Haec hactenus. Pauca tantum scribere potui, guttulas insparsi huic epistulae, cui oceanum debui. Sed quid dicam? ARS LONGA VITA BREVIS. Vale semper, mi amice Latinissime. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

**Nicolaus Marco suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

De electione Italica alii aliter sentiunt, care Marce; quid tibi videtur? Suspenso animo exspecto respensionem tuam. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

**Marcus Nicolao suo s.p.d.**

Quid scribam, care sodalis? Exitus electionis Italicae minime est inexpectatus, cum existimationes suffragiorum cunctae longe victoriam partis dextrae clademque laevae vaticinatae sint. Ut saepe accidit, cives maluerunt factionem, quae in re publica



administranda temporibus recentioribus versata non est, confisi eam munere meliore functuram esse quam alias factiones, quae iam gubernacula rei publicae (plus minusque perite) tractaverunt. Scio nonnullos cives, praesertim aetate proveciores, timere ne Georgia Meloni, quae probabiliter novo coetui administrorum Italicorum praeerit, regimen quoddam Fascale conditura sit, mea autem sententia illa Fascismo (qui dicitur) non favet et nullum periculum democratiae Italicae comparat. Eius factio procul dubio ante multos annos heres erat factionis Mussolinianae, sed et Meloni et eius antecessor Fascismum eiusque crimina plusquam semel damnaverunt nec eversionem rei publicae Italicae umquam minati sunt. Meloni est mulier et callida et ambitiosa, quae ab adulescentia rebus interfuit politicis et semper cupiit ad summum fastigium ascendere. Puto eam strenue operam daturam esse, ut administri aliarum nationum et concives regimen Italicum proximum futurum aequo animo (quoad fieri potest) accipiant, nullis rebus novis fotis. Iudicium autem de Georgia Meloni deque eius factione a. 2023 vel 2024 fusius dabimus, memores optimae sententiae Evangelii (Mt 7.20): *igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos...*  
Cura, ut optime valeas.

## **VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

d.22. m.Aug. a.2022 h.18:27

### **Nicolaus Victorio suo optimo s.pl.**

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 265 tibi missam? Epistolia tua mihi pretiosa ei indidi. - Addo nunc commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis. Legas quaeso et symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendicem prioris epistolii mei hodierni impositam et epistolia, quae nunc addo. Suspenso animo mexspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime! Medullitus te salutatur Nicolaus.

d.23. m.Aug. a.2022 h.16:12

### **Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.**

Etsi non omnia scripta Latina legere valeo (quoniam maculopathia, quae dicitur, oculo sinistro meo admodum officit), tamen epistulas tuas, Nicolae optime, quoad eadem ad computatrum pervenerint, semper lego. **A)** Venio ad tuam hesternam. Consulto eas epistulas non lego, quae scriptae sunt ab hominibus sua praenomina et nomina vera celantibus, at praenomina nominaque falsa sive Romana seu fucata adhibentibus. Quare eam a Iunio Bruto scriptam epistulam non legi neque umquam legere volo. (Quotiens in 'Grege Latine loquentium' iratus sum ob eam insulsam consuetudinem, reminisci nolo). **B)** De aliis considerationibus tuis ad libertatem scribendi pertinentibus, prorsus tibi adsentior, dum dissentio ab hominibus putantibus iniuriose scripsisse eum, qui vel acriter (sed non 'ad personam') contra mores quosdam invectus sit. **C)** "Cancellare" scriptum quodlibet, quia ipsum Titio vel Caio vel Sempronio molestum esse videatur, est barbaries. Quae tamen in dies vulgatur-

eheu!- praesertim in Italia: sed barbaries est manetque barbarissima. Nova aetas media, ut iam tibi rettuleram, nobis forsitan incumbit. Nihilominus pancratice valeas, mi Nicolae.

d.24. m.Aug. a.2022 h.13:30

**Nicolaus Victorio s.**

Gratias plurimas, care Victori, pro verbis tuis animo ingenuo atque sincero scriptis. Tibi displicet, quod quidam auctores neolatini subscribunt nomina ficta, non vera sua nomina propria. Decet te postulare, ut unusquisque sincere confiteatur sententiam suam. Pro certo habeo sententiam tuam esse honorabilem, tamen intellego timorem quorundam auctorum nomen suum patefaciendi. Ego quoque credideram adversus angustias publicas commercium litterarum Latinum esse quadamtenus ultimam oasim libertatis, esse ultimum refugium sententiae suae libere dicendi. Sed in hac quoque re compluries iam spe deceptus sum: Nam dolorose animadverti esse inter homines Latina legentes quosdam delatores studia humaniora simulantes, qui sententiae alicuius a me prolatae impatientes mihi insidiarentur. Ut exemplum afferam: quidam senex olim director gymnasii (nomine suo indicto) ad profestricem et directricem instituti universitarii, ubi docui, scripsit se Epistulis meis Leoninis perlectis pro certo habere istas continere sententias gubernationi et civitati adversas et periculosas; oportere, ut ea dimitteret tales rei publicae adversarios, qualis ego essem. Se ex Latinitate epistularum in his commentariis inventarum concludere furciferos coniuratos secreto sermone suo Latino inter se colloquentes novis rebus studere. Aegre contigit, ut amico quodam scriptorum mei Latinorum perito adiuvante profestrici persuaderem istum delatorem gerras et stultitias scribere. Praeterea iam saepius accepi epistulas lectorum, qui argumenta symbolarum vituperantes personam censoris sibi arrogantes postularent, ne umquam tales sententiae propriis adversae a mihi publicarentur. - Vides nunc, quare intellegam timorem quorundam lectorum, ne aperte patefaciant nomina sua propria. *Hoffmann von Fallersleben*, illustris poeta Germanus, dicitur dixisse (circa a.1880) totius terrae maximum furciferum esse et manere delatorem: "*Der größte Schuft im ganzen Land, das ist und bleibt der Denunziant.*" - Quid tibi videtur de istis rebus a me leviter tantum tactis, fortasse proxima occasione fusius tractandis? Scribe mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Vale semper pancratice, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.25. m.Aug. a.2022 h.13:57

**Victorius optimo Nicolao salutem.**

A) Iste gymnasii director stulte se gessit maxime quia- nisi fallor- doctrinae obnoxius erat, quae 'rectitudo politica' vocitari potest, quamque omnino ego contemno.

B) Rectissime putas inter homines Latine legentes non deesse aliquot, qui tantum fucate "studia humaniora" colere videantur, dum revera ea studia parvi faciunt.

C) Hominibus falsa praenomina et nomina usurpantibus praesertim in Latinarum epistularum commercio nullam excusationem equidem tribuo. **Pancratice valeas.**

d.25. m.Aug. a.2022 h.14:05

**Nicolaus Victorio s.**

Gaudeo de responso prompto. Gratias. Pro certo habeo te esse humanistam sensu verissimo. Vale semper, haec brevissimê, mox certê plura. **Medullitus Nicolaus Leo Latinus.**

d.26. m.Sept., a.2022 h.23:29

**Nicolaus Victorio sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

De electione Italica alii aliter sentiunt, care Victori; quid tibi videtur? Suspenso animo exspecto responsionem tuam. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus

d.27. m.Sept., a.2022 h.14:00

**Victorius Nicolao suo salutem.**

Unum bonum exitum ex electione Italica adhuc ortum esse puto, mi Nicolae: scilicet deminutum legumlatorum et senatorum numerum. Illi enim antea 630 erant, nunc tantum 400. Senatum constituebant 315 homines, nunc 200 erunt. De aliis effectibus 'electoralibus' nihil in praesenti dicam, quia res politicae- maxime in Italia- incertae sunt. Optime valeas.

d.25. m.Nov. a.2022, h.00:41

**NICOLAUS VICTORIO SUO CARISSIMO SAL.PL. S.V.B.E.E.V.**

QUID FIT QUID AGITUR, CARE VICTORI? FRANCA LOQUITUR FLAGRANTER ET INTIMO EX CORDE! QUAE SCIT INFLAMMARE ANIMOS COMPATRIOTARUM. DE ERRORIBUS FRANCOGALLORUM LIBYCIS QUANTUM SCIO LOQUITUR VERE! LIBYA BARBARICE DESTRUCTA INGENTIA FLUMINA EMIGRANTIUM IN EUROPAM IRRUERUNT QUAE ANTEA A GADDAFI ERANT RETENTA. QUID TIBI VIDETUR? QUIA TEMPORA, MI AMICE DILECTE, SUNT DIFFICILIA ET INCERTA, CARPAMUS DIEM. VALE QUAM OPTIME. NLL

d.25. m.Nov. a.2022 h.15:14

**Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.**

Tria dicere ausim: 1) res politicae internationales, quae dicuntur, magis magis que intricatiores fiunt. 2) Europa occidentalis in dies debilior est. 3) Interea duorum populorum potentia admodum augetur; Sinensium dico et Turcorum. (Sed hae tantum opiniones meae sunt). Optime valeas, mi Nicolae.

d.25. m.Nov. a.2022 h.15:24

**Nicolaus Victorio suo sal. plur. dicit.**

Gratias, mi care Victori, tibi ago pro responsiuncula tua Laconica. Cum videaris rem specialem a me attactam evitare velle, respondisti geopolitica ratione generali. Difficili isto tempore bene intellego quod cautus es in rebus politicis tractandis. - Cras tandem mittam Epistulam Leoninam novissimam 266. Acroasin quandam de Latinitate viva, quam anno superiore feceram theodisce, nunc in Latinum conversam et suppletam inserui. Bene spero fore, ut tibi placeat. Haec brevissime, mox, si volueris, accuratius tibi scribam. Fac ut quam optime valeas. Medullitus te salutat Nicolaus.

## **URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS**

d.24. m.Aug. a.2022 h.10:19

**Nicolaus Urbano suo optimo s.pl.**

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 265 tibi missam? Epistolia tua mihi pretiosa ei indidi. Addo nunc commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis. Legas quaeso et symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendicem prioris epistolii mei hodierni impositam et epistolia, quae nunc addo. Suspenso animo mexspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime! **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.24. m.Aug. a.2022 h.22:28

**Urbanus Leoni Latino salutem.**

Iam accepi, Leo noster, Epistulam 265, de qua ideo nihil tibi scripsi, quia totam nondum potui legere. - Symbola, quæ inscribitur "Deditio Berolinensis", quam scripsit Marcus Iunius Brutus, est quidem brevissima — habet enim tres tantum paragraphos, et has figuris dicendi plenas. Ut scimus, res, quas aut dicimus aut scribimus, si verbis propriis dicantur aut scribantur, fere numquam habent illam movendi vim, quam optamus. Translationibus autem aliisque figuris ornatae, eadem res et clarissimo fulgent lumine et animos vehementissime movent. Hæc est causa, ut mihi videtur, cur Ephemeridis editor, scilicet figuris commotus, non vult symbolam apud situm retialem suum patefacere. Utinam opinio eius aliquando mutetur. Quod si non mutetur, hoc malum longe minimum erit, si comparamus cum prohibitionibus quas Civitas potest imponere. - Epistolium, quod mihi misisti, quandam ostendit difficultatem, quam, ut reor, omnes homines per orbem patiuntur: difficultatem libere loquendi. Sub democratiae excusationem, ut exemplum afferam nostrum, Supremum Tribunale Fœderale Brasilianum, quod, ut mirum est, politice opponitur Præsidi, quædam verba prohibet proferenda, pecuniam eorum, qui quoquomodo dissentiant, publicat nulla eis data recurrenti facultate, contra legem fingit pœnas et crimina quæ non inveniuntur in nostro Codice Pœnali. Cum de pandyselectria agebatur, scripsi tibi, quæ sit mea opinio: quod Civitas moderna maiorem habet potestatem, quam ut oporteat aut necesse sit habere. - Editor, si non vult, potest res non recipere in situm

suum; non potest tamen prohibere quominus symbola aliis in sitibus exhibeatur aut aliis rationibus pateat. Civitas vero per violentiam suam et rem potest omnino prohibere et ei, qui scripsit, maximum afferre detrimentum. Causa ergo nostra est ut, per leges et per democratiam quam extollunt, modum constituamus Civitati. Hæc longe perniciosior est quam quilibet homo privatus. - Hæc mihi in buccam venerunt: non sint molesta tibi. **Dedi Brasiliopoli, Mercurii die, IX Calendas Septembres, anno MMXXII. Urbanus**

d.28. m.Aug. a.2022 h.00:52

**Leo Latinus Urbano suo facundissimo et aequissimo sal.pl.dic.**

Gratias plurimas, care amice, pro epistula prolixa, qua sententiam tuam rite et diserte explanasti. Homines rerum publicarum quae dicebantur esse liberae imprimis post pandemiam putativam dubiose enuntiatam sub praetextu luis impugnandae aut climatis tutandi in dies pluribus iuribus suis libertatis privantur. Subsunt insidiae globalistarum, qui in animo habent homines custodia digitali ubiquitaria sibi subditos omni identitate humana sexus, nationis, patriae privatos facere androides serviles. (Vide e.g. quid dicant "*Smart City Charta*"). Quid sentis? Putasne me esse theoreticum conspiracy? Scilicet hanc rem esse intricatissimam neque hoc in epistolio me velle esse longum. Tu autem, si vacabis, scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit.... Pancratice vale, mi Brasiane Latinissime, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.01. m.Nov. a.2022 h.20:34

**Leo Latinus Urbano Ferrario suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Modo accepi electionem praesidis vestri in dubium vocari. Quid tibi videtur? Estne ad vota numeranda eadem machina adhibita, quae etiam usui fuit democratis Bidenianis? Interim pro certo habeo Bidenium iniuste electum esse. Suspicio etiam simile de Lula factum esse. Utinam res vestra feliciter evadat, ne fiant turbæ violentæ! Vale semper, Nicolaus Leo Latinus

d.02.m.Nov. a.2022 h.00:02

**Urbanus Leoni Latino salutem. S.B.V.B.E.E.B.V.**

Salve, Leo noster Latine! III Calendas Novembres, prope horam vicesimam, Lulam pleraque tulisse puncta vere nuntiatum est. Nuntiatum est. Non tamen credo nuntium fuisse fraudibus et erroribus expertem. Præter machinas, quæ vulgo dicuntur urnæ electronicæ, aliæ quædam factæ sunt res, quæ non parvam suscitant fraudis suspicionem.

Ut exemplum afferam inter alia multa, urbis memini, quæ dicitur Barraria in Bahia. Ibi enim, ubi incolarum vivunt 156 milia, urnæ computaverunt plura quam 300 suffragiorum milia, ex quibus 220 milia pro Lula data sunt. Quomodo fieri potest, ut urbs plus habeat suffragiorum quam incolarum? Non desunt urbes, ubi similes casus evenerunt. Exinde in ipso suffragantium regesto fraudem fuisse suspicio.

Aliud fraudis genus fit, cum alius pro alio suffragatur. Quidam suffragatores, cum adierunt comitiarum conclave ut suffragium ferrent, ibi noverunt se nullatenus posse punctum dare, quia nomine eorum punctum iam datum erat. Quod fraudis genus etiam multiplicatum est per urbes et oppida.

Ceterum, Iustitia, quæ dicitur electoralis, iniquissime Bolsonari factionem est insecuta: clanculum privavit eum pluribus quam 150 milibus præconiorum radiophonicorum (quæ præconia translata sunt ad Lulam); prohibuit quominus cives, per retia socialia, aut eum faverent aut mendacia contra illum refutarent. Præterea omnes diurnarii, cum interni tum externi, indesinenter mentiti sunt in eum. Sic existimare potes quam iniquæ fuerint partium condiciones, quantamque iniuriam Bolsonarus passus sit.

Adde his vitiis alia tria: et quod urnæ singula suffragia, ut horum summa comprobari possit, non imprimant; et quod suffragiorum diribitio non publica, sed omnino secreta et occulta sit; et quod comitorum ratio non possit in omnibus suis partibus examinari.

Hæc sunt, quæ mihi videntur de comitiis vitiatis, per quæ mox, id est, Calendis Ianuariis, incidet Brasilia in potestatem Fori Paulopolitani. Verum dum spiro, spero.

Spes quoque tua non deficiat. Vale semper.

Dedi Brasiliopoli, Martis die, Calendis Novembribus, anno MMXXII.

**Urbanus**

d.02.m.Nov. a.2022 h.10:53

**Leo Urbano suo sal.pl.**

Summas gratias, care amice, quod tam accurate refers de suffragiorum falsatione infamissima. Quaero, num Lula ducente Brasilia mansura sit illius unionis q.d. BRICS. Quid sentis? Miseret me tui omniumque tui compatriotarum impudenter deceptorum. Sed etiam apud nos ius suffragiorum iam pridem est debilitatum eo quod resultata suffragiorum semper falsantur talibus factionum coalitionibus faciendis, qualibus voluntas civium ludibrio habeatur. Factio Prasinorum, quae apud nos luxurians valet et viget et saevit pestifere atque calamitose, non acceperat maioritatem electorum; tamen coalitione cum Socialistis et Liberalibus facta Prasini tantam habent potestatem, ut oeconomiam et societatem nostram in summum discrimen adducant. Alternativi opposites tam vehementer sunt diffamati atque daemonizati, ut vix ulla spes restet in iisdem ponenda. Sed ne prorsus desperemus, Urbane carissime, dum spiramus speremus et solacio fruamur commercii litterarum humanissimi atque Latinissimi. Vale semper, tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.02.m.Nov. a.2022 h.11:33

**Salve, Leo Latine!**

Ut sciam, in prioribus illis duobus Lulæ mandatis, inter annos 2002 et 2010, Brasilia partes iam habebat in BRICS unione, in qua ultro manebit.

**Urbanus**

## **GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.22. m.Aug. a.2022 h.14:26

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

De ‘mentula’ nihil proposui, cum hoc vocabulum mea non satis intersit. Miror tamen et laudo amplitudinem investigationum tuarum, omnium auctorum imaginibus mirum in modum illustratarum. - Malo de alia re maioris momenti fusius tractare. ‘Blackout’ est vocabulum extraneum, quo non utor; secundum lexicon significat: ‘Obscurcissement total utilisé comme mesure de défense antiaérienne’ i.e. ‘obscuritas generalis (in urbe) (noctu) facta ad domos protegendas contra aeroplanorum aggressiones’. ‘Blackout’ ergo non significat diuturnam electricitatis orbationem. Electricitas nunc facta est alimentum necessarium nostri cultus technici; innumerabilia instrumenta omnis generis solum electricitate ali possunt; quid hodie facere possimus sine informatica? - Cum anno 2006 exstruendam curavi domum, ubi nunc ruri habito, statuendum erat de modo calefactionem generalem alendi; complures erant possibilitates; carbo fossilis, nimis incommodus, erat obsoletus; petrolei oleum commodum erat, sed cum petrolei proventus tunc diceretur mox iam non suffecturum esse consumptioni semper crescenti, id non elegi; gazum naturale, cuius ingens fossilis copia recenter detecta erat, multum adhibebatur, sed, cum sit volatile, incendii periculum augetur. Restabat electricitas, energia qua humana societas nostra orbari non potest sine ruina nostri cultus civilis; eam elegi ut solam energiam domi meae adhibitam; raro tunc temporis ponebatur generalis calefactio electrica, sed ex usu iam longo dicere possum eam esse omnium commodissimam. Satis diu vixi ut alia tempora mihi sint nota; memoriam adhuc teneo modi vivendi in Bruxellensi domo meorum parentum per nonnullos annos ante alterum bellum mundanum. Minimus tunc erat usus electricitatis; fere solum adhibebatur in lampadibus electricis, quae iam diu substitutae erant lampadibus ‘gazo urbano’, quod vocabatur, alendis; hoc enim gazum generabatur ‘pyrolysi’ carbonis fossilis, qui sic fiebat magis purus et vocabatur ‘carbo coctus’ (Angl. *coke*). Gazum urbanum primum adhibitum est in lampadariis viariis maximarum urbium; iam vergente undevicesimo saeculo gazum e gazificina ad privatas urbium domos tubis infossis adducebatur. In parentum domo tubi quibus gazum ad pendentes lychnos adducebatur non erant sublatis. Nullum instrumentum domesticum electricitate altum erat in nostra domo praeter parvum radiophonum, tunc T.S.F. (Telegraphia Sine Filo) vocatum; calefactio generalis carbone fossili alebatur; domus urbanae tunc cellarium carbonarium habebant, iuxta viam situm, ut per spiraculum infunderetur copia hiemalis carbonis fossilis. - Post bellum res celeriter mutatae sunt; innumerabilia instrumenta electrica omnis generis omnibus in promptu fuerunt et petroleum in plerisque usibus substitutum est carboni fossili. His mutationibus celeriter crevit prosperitas liberarum civitatum Europaeorum. - Haec prosperitas, qualis antea numquam fuit, praesertim fieri potuit propter energiarum fossilium parvum pretium, carbonis fossilis scilicet, petrolei et deinde gazi naturalis. Magis magisque beati, Occidentales putaverunt



annos *Golden Sixties* et pacem esse statum normalem societatis humanae. - Infeliciter ipsa Occidentalium prosperitas genuit maxima detrimenta, quae hic solum adumbrabo. - Mundializatio industriae et commercii, qua minuitur venalium bonorum pretium, necessarie eget pace generali in orbe terrarum; hodie iterum patet pacem non esse aeternam. - Renascentia systematis politici *islam* in arida et pauperrima Arabia fieri potuit quia Occidentales ingentem collectionem subterraneam petrolei ibi detexerunt; sic post alterum bellum mundanum Occidentalium inextinguibili petrolei siti crescere non desinente, pauperrimus Arabiae rex factus est locupletissimus; hanc Occidentalium pecuniam, quam ipsi Arabes non meruerunt, neque petrolei inventionem, neque eius extractionis labore, rex Arabiae adhibuit ad sopitam theocratiam *islam* ubique terrarum resuscitandam. Occidentales post extinctionem imperii Othomanici, ultimae theocratiae islamicae, celeriter obliti sunt quantum *islam* nocuisset; solae Balcanicae civitates odium mahometanorum adhuc servant. Occidentales ab annis septuagesimis vicesimi saeculi terrorismum islamicum, ab Arabia altum, magis magisque passi sunt usque ad fastigium, i.e. *Trade Center* geminae turres Novoeboracenses raptis aeronavibus, vectoribus plenis, anno 2001 percussae et incensae. - E variis epidemiis, quae in Extremo Oriente vel in Africa saepe saeviebant, una facta est pandemia, quae ab anno 2020 Europam et Americam quoque infecit et ibi magnas perturbationes vitae cottidianae induxit. Propter parvum aerae vectionis pretium tam multi homines undique trans oceana peregrinati sunt, ut per totum mundum sua patria vira spargerent. - Mutatio climatis, cuius effectus vastatorios iam patimur, tribuitur nimio usui combustilium fossilium ut energiae fontium. Scientifici noverunt rationem gazi  $CO^2$  in atmosphaera numquam antea tantam fuisse atque temperaturam generalem atmosphaerae et oceanorum augeri, sed novissimae cogitationes de annuis fluctuationibus (sensu scientifico: haec est rationis mutatio decursu temporis) rationis  $CO^2$  in dubium revocant incrementum  $CO^2$  causam esse temperaturae incrementi; nam numquam incrementum  $CO^2$  praecedit temperaturae incrementum, sed contrarium monstrant graphicae perscriptiones. De re dubia non fusius disseram. - Ultimum detrimentum, sed non minimum, afferunt duae dictaturae, quas pecunia prosperi Occidentis fecit potentissimas. Ut pretia bonorum venalium in Occidente minora fierent, commodum erat pauperibus Sinensibus eorum fabricationem demandare; dictatura communistica Sinensis sic divitissima facta, USA aequare, quin etiam superare conatur; suum regimen Sinensibus Formosae (*Taiwan*), qui libertate democratica fruuntur, vi imponere volunt. - Postquam in Sibiria ingens gazi collectio subterranea, cuius extractio facilis erat et inde pretium leve, inventa est, Europaei, praesertim centrales, hoc gazum emere coeperunt. Initio afferebatur gaziductu per Ucrainam, sed hoc mox non suffecit. Gazprom, Russorum ingens societas gazearia, tunc proposuit ut Russia cum Germania iungeretur maximo gaziductu in fundo maris Baltici posito. Anno 2005 Gazprom (51%) et duae Germanicae societates, BASF et E.ON, pactioni subscribunt ut una gaziductum instruant. Tunc Gerhardus Schröder, factionibus Socialistarum et Prasinorum nitens, est Cancellarius Germaniae (1998-2005); multam pecuniam a societate Gazprom

accipiet et Vladimiri Putin amicus fiet. - Cum gaziductus *Nord Stream I* anno 2012 gazum afferre coepit, Americani Germaniam monuerunt ne a Russis nimium penderet, sed monitum non flocci fecit et cum Russis paravit gaziductum *Nord Stream II*. Interea Russiae dictator anno 2014 vi cepit Chersonesum Tauricam; cum vix intercessissent Occidentales, invasionem perrexit, imprimis subreptive, in orientales Ucrainae provincias. Cum mense Februario a. 2022 Russorum exercitus aperte in Ucrainam irrupit, Europaei voluntarie caeci, ut solent, expergefacti sunt; Unio Europaea tandem comperit Russum dictatorem bellum mundo libero indixisse. Putinus quoque expergefactus est cum comperit Ucrainos libertatem suam impavide defendere et totum Occidentalium orbem eos adiuvere. - Putinus suo gazo utitur ad Europaeos dividendos. Germani, maximi gazi consumptores, anxii fiunt propter imprudentiam suorum regentium Prasinorum. Adhuc tamen 75% excipulorum capacitatis gazi plena sunt et Germanorum socii curant ut quam citissime fontes gazi GNL (Gazum Naturale Liquefactum) suppleant. - Historia, etiam satis recens, docet omnem dictaturae formam pacis inimicam esse. **Cura ut valeas.**

d.22. m.Aug. a.2022 h.17:07

**Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic.**

Elato animo litteras tuas accepi, amice carissime, uberrimas et experienciis vitae tuae plenis. Scilicet me libentissime easdem publicaturum esse. - Quod attinet ad vim verbi "blackout" originalem, explicationes Dictionarii Longmanianas (v. infra) quae sequuntur si perlegimus, animadvertimus etiam hoc verbum anglicum solita esse polysemia: cum tu in lexico francogallico inveneris significationem tertiam, ego adhibui primam. Sed nulla nunc est difficultas: ambo scimus agi de electricitatis defectu, qui per magnas regiones pertingat et complures dies durat et quo non solum systemata electrica sed fere omnia cetera systemata technica affligantur. Tale phaenomenon apud nos numquam factum est (potius i.q. dicitur "brownout", i.e. defectus electricitatis partialis); sed technici rerum electricarum periti nobis affirmant propter fluentum vacillans ("Flatterstrom") a baburris Prasinis partim energia aeolica partim solari partim solitis energiis effectum necnon propter penuriam energiae gravissimam hieme imminet in dies tale infortunium dirissimum fieri verisimilius. Fortasse ii homines qui anglice "prepper" appellantur (praeparatores talis infortunii, qui in hypogeis aut alibi condunt magnas copias aquae et victualium necnon emunt generatrum electricitatis) iniuste ab aliis irridentur, quasi sint apocalypseos amatores insani, haud imprudenter agunt. Quidni ipsi penora condamus, ne denique nos fiamus Phryges sero sapientes? - Verissime verbis effers civitatem Sinicam esse dictaturam - quidni assentiar istam dictaturam esse horribilem? Horreo animadvertens nostras gubernationes sub praetextu pandemiae bellique Ucrainiani magis magisque methodos istius dictaturae imitari et - quod attinet ad civium custodiam et supervisionem et supervigilantiam - probatas adhibere et apud nos introducere. - Scilicet etiam tibi assentiar dicenti Putinum esse dictatorem improbum. Quisnam credat eundem officii secreti KGB participem manere potuisse animam

candidam? Tamen falsum est eundem daemonizare et comparare cum illis tribus tyrannis saeculi vicesimi omnium maxime terribilibus: cum isto Austriaco et isto Colcho et isto Sinensi tyrannis omnium formidulosissimis. Vladimirus Putinus, si comparatur cum antecessoribus suis, i.e. tyrannis sovieticis et Gorbatsovio humanissimo quidem sed parum prudente duce rei publicae et Jelzino ebriositate sua totam terram ad abyssum et barathrum ducturo, certe aliquatenus de Russia aliquatenus melius meritis est ideoque plerisque compatriotis suis haud ingratus est. Procul dubio recte affirmas Putinum ius gentium fregisse expeditione sua Ucrainensi; tamen mihi displicet quod iudicas unilateraliter. Nam nulla gens toties ius gentium fregit quoties Americani, qui hypocritice semper contententes se democratiam tutari reliquerunt terras magis vastatas quam democraticas (e.g. Libyam, Iraciam, Afganistaniam). Iidem nunc accusant Russos peccati proprii (tamen ipsi oleum a Russis emunt) et nos cogunt, ut absteineamus a gaso Russorum vili et certo. Habeckius noster minister oeconomiae numquam desinens Russos impetus bellici facti accusare, coram tyrannis Catarianis dorsum inclinat more canino mendicans gasum multo pretiosius et peius - scilicet hanc mendicationem indignissimam successisse infeliciter. En quantam hypocrisin! Phylarchi Catariani Schariam amantes num iura humana magis respiciunt quam Russi? Hoc credat Iudas Apella! - Callidissimi mercatores sunt Indi: qui nunc multo plus olei Russorum emunt quam antea - idemque in dieselianum et benzinum mutant et nobis pretio valde exaucto vendunt. Pergimus ergo accipere gasum Russorum, sed falso nomine usa nostra gubernatio tranquillare studet conscientiam nostram prasinam. - Porro recte dicis Americanos gubernationem germanicam praemonuisse, ne nimis obnoxia fieret gaso Russico: Qui Americani? Idem propheta veriloquens fuit Donaldus Trump illo tempore praeses, qui nunc ut iam illo tempore a Bidenio eiusque apparatu potestatis necnon a gubernationibus plerisque occidentalibus vehementer diffamatur et daemonizatur. - De calamitate climatica putativa imminente quid senserim et sentiam, iam ex multis annis in Epistulis Leoninis scribo. - Gaudeo quod ipse concedis thesin carbonicam (qua contenditur carboneum dioxydatum ab homine effectum esse causam catastrophae imminens) esse "dubiam". Asseclae Gretulae puellae prophetissae illique extinctionis rebelles de hac dubitatione tua si audirent, indignarentur vehementissime. Equidem pro certo habeo sectas Gretulae et extinctionis minime cognoscentiis scientificis nixas esse, sed dogmate pseudo-religioso; infantes istos deplorandos a globalistarum organisatione Sorosiana esse falsa doctrina imbutos et pecunia instructos et instigatos.

Haec hactenus breviter tantum de rebus intricatis atque multiplicibus, quae procul dubio dignae sunt tractatu prolixiore. Sed etiam Roma non uno die est aedificata et iuvat et delectat Latinis verbis disputare de materia uberrima. Taediosa autem esset disputatio, si semper consentiremus – nonne? - Has litterulas finiturus novam tibi praebeo materiam disputandi: agitur de censura. Legas, quaeso, textum qui sequitur: complectitur commercium epistoliorum, quod habui cum **Andrea Pizzotti** redactore Ephemeridis interretialis. - Legas quaeso etiam textum, quem ut publicaret rogaveram

Andream (inspice appendicem); postea iudices de sententiis ab Andrea et a me prolatis. Suspenso animo exspecto, quomodo tu Nestor Academiae et Latinitatis Vivae pro experientia et sapientia tua iudicaturus sis. - Pancratice vale, mi Gai carissime, et perge mihi fav ere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

<https://www.ldoceonline.com/dictionary/blackout>

blackout: From **Longman Dictionary of Contemporary English**

Related topics: [Electricity](#), [Newspapers, printing, publishing](#), [Politics](#), [Military](#), [Illness & disability](#)

1 black·out /'blækəʊt/ noun [countable]

a **period of darkness caused** by a **failure** of the **electricity supply** SYN **power cut**

2 a situation in which particular pieces of **news** or **information** are not **allowed** to be **reported**

As the crisis worsened, the authorities imposed a news blackout.

3 a **period during a war** when all the lights in a **town** or **city** must be turned off

4 if someone has a blackout, they suddenly become **unconscious**

d.04. m.Sept.. a.2022 h. 15.37

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Scripsisti: "Nonne pro certo habemus concordia parvas res crescere, discordia dilabi maximas?" Haec sententia non solum mea quoque est, sed insuper semper fuit scopus mearum rerum gestarum. - Nulla tamen concordia fieri potest cum periculosus fraudatoribus. Necesse non est Putinum daemonizare, cum re vera sit daemon malevolus; si legisses crassum librum c.t. *Putin's people*, quem anno 2020 edidit Angla diurnaria investigatoria, Catharina Belton, scires Putinum non solum esse dictatorem qui homines sibi obstantes trucidat vel veneno necat vel sine iudicio in carcerem cogit, sed insimul "maffiam" cum nonnullis composuisse, ad ingentem pecuniam fraudatam extra Russiam suo beneficio collocandam; Putini regimen, ut modo legi, est "cleptocratia" sceleratorum. Post URSS collapsam, sed ante Putinum, maffiosi inter se ferociter certaverunt; cupiebant enim naturalibus Russiae opibus, petroleo, gazo, carbone fossili, etc, potiri; certaminis victores societates modo Occidentali creaverunt ut maximum redditum ex his opibus traherent; celeriter locupletissimi facti et "oligarchae" vocati sunt, cum pecunia eis magnam potentiam conferret. Putinus totam potentiam exercere vult, quare oligarchis eligendum fuit: sive destituerentur, sive Putini instrumenta fierent, id quod plerique elegerunt. Hae societates aspectum commercialem servare videntur, sed clanculum ingentem "arcam nigram" Putini alunt, qua utitur ad politicos extraneos corrumpendos, vel ut se insinuet in Londiniense templum argentarium "City". - Post URSS collapsam NKVD (Consilium populi Rebus Internis curandis) sublatum est, sed multi eius agentes ex aliis officiis salarium accipere perrexerunt et mentem NKVD servaverunt. Ante collapsum NKVD non solum permultos agentes intra fines habebat, sed quoque extra fines; Putinus diu agens fuit in Germania. - Iterum Americanos increpas; certe non sunt angeli, sed demonstraverunt se esse solam validam arcem democratiae; quo confugiunt vexati? In Americam, ubi libertate iterum tute fruuntur. In Americam v.g. confugit Svetlana Staline, postquam fortuito ex periodico Americano comperit suam

matrem, summa Stalini contemptione oppressam, se ictu pistolii exanimavisse; in Russia per multos annos Svetlanae dictum erat eam appendicite mortuam esse.

Democratia Americana differt ab Europaeis democratiis, potius enim est plutocratia, ubi locupletem esse vel fieri non habetur ut vitium neque invidiam excitat sed admirationem et laudem; ipse cum in USA morarer, stupens comperi humili populo nullam esse socialisticam inclinationem. - Ipse nolim in America vitam degere, sed scio nos Europaeos sine eorum auxilio iam vicesimo saeculo futuros fuisse omni libertate orbatos. - Eventa Libyae, Iraquiae et Afghaniae ut exempla citas. - Anno 2011 surgit "Ver Arabicum", in Libya quoque, sed ibi tam vehementer et crudeliter populi motus a Duce Kadhafi reprimuntur, ut ONU Consilium Securitatis, non obstantibus Sinis et Russia, licentiam det necessaria faciendi ad populum Libyae tuendum. Americani una cum Francogalli tunc impediunt ne aufugiat Kadhafi, qui deinde ab ipsis Libyibus trucidatur. - Bellum Iraquiae dictatori, Saddam Hussein, indicare fuit unus ex multis Americanorum erroribus in Medio et Proximo Oriente; Angli soli eos iuverunt, sed neque Francogalli, neque Germani hoc fecerunt; trucidato Saddam Hussein, qui certe crudelis et impudenter superbus erat, sed islamismum efficaciter opprimebat, Iraquia facta est regio instabilis, cuius frequentiores sunnitae infesti sunt siitis, et ubi ictus tromocratarum multos incolas trucidare non desinunt.

Afghaniae eventa ab anno 2001, cum Americani maximos ictus islamistarum a Ben Laden in Afghania paratos passi sunt, minutatim narravi in symbola quae in Melissa edetur; sufficit hic solum dicere Americanos non solos expeditionem ad talibanos expellendos misisse, sed una cum Sociis OTAN sive NATO et post decretum Consilium Securitatis ONU, cui neque Russi, neque Sinenses obstiterunt. Cum anno 2014 Socii putaverunt Afghaniae exercitum nationalem, quem creaverant, armis instruxerant et ad bellandum exercuerant, paratum esse ad suam civitatem defendendam, statuerunt proprias copias (usque ad 150.000) domum reducere; tunc in America Barack Obama praeses erat. Sine mora patuit exercitum nationalem solum inhabilem esse ad talibanorum reditum impediendum ac necesse fuit minimum Occidentalium praesidium in situ relinquere. Ab anno 2017 talibani inceperunt se in totam Afghaniam insinuare, incolis (maribus certe solis) manifesto consciis, id quod exercitus non impedivit. Americani, Donald Trump praeside, statuerunt de pace cum talibanis tractare; hoc per tres annos in Qatariae urbe Doha factum est. Anno 2020 Pacto de Doha subscribunt Americani et talibani (notandum est complures Pacti stipulationes adhuc secretas esse); Donaldi Pacti effectum vidimus. - Contra stipulationes Pacti de Doha talibani iterum artissime cum al-Qaida coniuncti sunt, ita ut eorum dux Ayman al-Zawahiri, cooperatore et successor Ben Laden, tranquille et tute cum familia Caburae (*Kabul*) viveret. Americani, eius cottidianis consuetudinibus compertis, valuerunt eum solum die 2 mensis Augusti 2022 trucidare sine ulla displosione. Praeses Americanus Biden eius mortem nuntiavit, dicens "iustitiam factam esse", cum iste cooperatus esset in praeparatione terribilis ictus tromocratici anni 2001, sed nihil dixit de instrumento bellico secreto, quo usus esset.

Non Donaldus Trump Germanos de periculo gazi Russici monuit; hic enim de sola America curare volebat et insuper suspectam proximitatem habebat cum Russis, qui inter alia eum plus quam probabiliter iuverunt, qui praeses eligeretur; impedit enim ne valida inquisitio haberetur; sperabat quoque se licentiam accepturum esse alteram "Trump Turrim" Moscuae aedificandi. - Consilium Gaziductus Nord Stream aedificandi ab anno 1997 concipitur a Russiae maxima societate gazearia Gazprom atque opera eius constructionis incohantur anno 2005; Germaniae Cancellarius tunc est Gerhardus Schröder; postea compertum est eum a Russis corruptum esse et multam pecuniam "nigram" a societate Gazprom clam accepisse. Ab anno 2012 gaziductus coepit gazum Russum in Germaniam mittere; tunc in USA Praeses est Barack Obama; ille Germanos monuit. Notandum est Suetiam, a gaziductu proximam, noluisse per diverticulum gazum Russicum accipere. - De symbola autem, quae inscribitur "Deditio Berolinensis", re vera nihil habeo quod dicam. Cura ut valeas.

## **IOSEPHUS FABER HUNGARUS**

d.22. m.Aug. a.2022 h.20:18

**Nicolaus Iosepho Fabro Hungaro optimo s.pl.**

Care sodalis, iamne accepisti Epistulam Leoninam 265 tibi missam? Epistolia tua mihi pretiosa ei indidi. Adde nunc commercium epistoliorum, quod feci cum Andrea Pizzotti editore Ephemeridis. Legas quaeso et symbolam lectoris ("DEDITIO BEROLINENSIS") appendici impositam. Suspenso animo exspecto, quomodo tu iudicaturus sis. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, sodalis serenissime! Medullitus te salutatur **Nicolaus**.

d.24. m.Aug. a.2022 h.16:53

**Optime Domine Gross,**

Epistulam Leoninam 265 accepi, solito more. Gratias Tibi persolvo. Facere non possum, quin fatear dictum illum "*epistolia tua mihi pretiosa ei indidi*" non plane intellegere posse. Possisne, precor, me certiolem facere? Quod attinet ad symbolam *Deditio Berolinensis*, ut nihil dicam gravius, vultu menteque tristi video et audio res, quae in Germania quoque ardore et exultatione animi hominum fortunae vicissitudine male affectorum et vix aliquid prudenter contra progressionem funestam agentium, saeviunt. *Gaudeo* res huc cursum alium petere....*ad tempus ... Quousque tandem ..?* Valeas quam optime **Iosephus Faber Hungarus**

d.24. m.Aug. a.2022 h.17:24

**Nicolaus Iosepho maxime honorabili sal.pl.dic.**

Pro certo habeas, care sodalis, epistolia tua mihi semper esse pretiosissima. Recte me mones illius dicti, quod delendum fuit, sed errore dactylographico relictum est. Habeas me excusatum! Gratias magnas tibi ago, quod benigne me certiolem fecisti de sententia tua. Utinam sit tibi aestas iucunda! Si vacabis, scribas mihi, quaeso,

quidquid tibi in buccam venerit. Audivistine orationem, quam nuper in civitate Texana habuit Victor Orban coram Americanis conservativis? Quae mihi multum placuit! Quid tibi videtur? Iuvat et delectat ista in tempestate rerum omnes homines studia humaniora amplexos commercium inter se habere litterarum. Vale semper pancratice, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.25. m.Aug. a.2022 h.11:50

**Optime Domine,**

Certe audivi et legi orationem meditatam Praesidis administorum Hungariae in civitate Texana habitam. Quamquam oratio ipsa vel contio non caret orationis ornamento ad celebritatem audientium Americanorum destinatae, verborum asperitatem ad relationem de temporibus pertinentem valde aptam esse puto. Diabolus ungulatus, dictator, praeparator areolae rebus dissolutis in rebus publicis germinandis instructae, Semitarum osor, nimius nationis suae fautor, paene nazista, *eodem tempore* communista, inimicus infestus *virtutum Europae*, homo perturbans concordiam terrae continentis nostrae etc etc ut modo nonnulla epitheta ornantia eius in mentem revocem - ne longum faciam : *homo noxius et perniciosus qui ex re publica non recte se gerit /politically incorrect/*. - Autem ratio eius perlucida et simplex et sincera est: redivus ad virtutes cultus atque humanitatis in doctrina Iudeo-Christiana insitas et conservatio earum, familia pars fundamentalis societatis est, pars minima familiae ex marito *masculino* et uxore *feminina* et filiis filiabusve composita est, pueri puellaeque contra expansionem vesaniae mutationis sexus ad libidinem defendi debeant, res communis commodaque nationis ante oculos habet, aequilibrium inter ius privatarum utilitatum et ius communis omnium utilitatis, conservatio integritatis nationis, subsidium patrio solo in egestate vitam degentibus *in sede eorum* pro viribus civitatis, auxilium hominibus belli calamitates fugientibus et *constanter et sine ulla dubitatione ac nullá morá interpositá in proposito perseverare*. Revera animum audientium ad ea proposita incendere conatus est. Valeas quam optime **Iosephus Faber Hungarus**.

d.25. m.Aug. a.2022 h.13:29

**Nicolaus Iosepho sal.pl.**

Intimo ex animo tibi assentior, care Iosephe. Ego quoque magni aestimo praesidem Hungariae. Ultimus est politicus Europae verus. Ceteri sunt omnes globalistarum neurospasta atque gerulifiguli. Itaque Victor iterum iterumque diffamatur - tamen constat firmissimus tamquam saxum e mari eminens tempestuosissimo. Verum enim vero: utinam vincat Victor! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.





## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-	<b>TESTAMENTUM</b>	Henricus van den	-----	2004	CD-	7 pp.	€ 17,50

		09-8		Lande de Raelt			ROM pdf		
			<b>REYNERI BERLBYN</b>						
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

			<b>Libri audibiles</b>						
27	<b>0050 6A</b>	<b>978-3- 938905- 26-5</b>	<b>EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	<b>00107 A</b>	<b>978-3- 938905-27- 2</b>	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	<b>0020 7A</b>	<b>978-3- 938905-28- 9</b>	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	<b>00307</b>	<b>978-3- 938905-29- 6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SEXTAM**



**אַלֵּיעֶזֶר בֶּן־יְהוּדָה**  
(1858-1922)

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE**

**PERFECIT**

**Die Martis  
29. m. Nov. a. 2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



**VIGILATE QUIA NESCITIS  
DIEM NEQUE HORAM.**